DE CL. CLAUDIANI CARMINUM QUAE STILICONEM PRAEDICANT FIDE HISTORICA.

DISSERTATIO
QUAM
SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDORUM CAUSA
SCRIPSIT
ET
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XVI. MENSIS MARTI MDCCCLXIII
PUBLICE DEFENDET

EDMUNDUS VOGT
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
IOSEPHUS HASENMUELLER, DR. PHIL.
ALBERTUS ZIPPMANN, SEM. PHIL. NUPER SENIOR.
CAROLUS DZIATZKO, SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE
TYPIS EXPRESSIT PETRUS NEUSSER.
MDCCCLXIII.

MATRI · CARISSIMAE

PIETATIS · CAUSA.

Cl. Claudiani carmina ad eius aetatis historiam accuratius describendam arcessita quidem videmus, sed prorsus temere nec ullis certis legibus aut rationibus caute investigatis, nisi in vaga quadam et nimis ampla diffidendi et suspicandi ratione acquiescimus. Qualis vero quantaque illis tribuenda sit fides, eo gravior exstat inquisitio, quo maior ceterorum fontium cum sterilitas et inopia tum sordida apparet vilitas. Videatur quidem rem leviter considerantibus magis ludicrum et fallax fundamentum illis carminibus cogitari non posse. Namque fuit Claudianus aulae vel potius Stiliconi totus deditus, Serenae Stiliconis coniugis opera ipse uxorem illustrem et locupletem duxit[1]), patronum suum omnibus quibus poeta abundabat laudum copiis praedicavit, rerum descriptionem uberrimis luxuriosi ingenii ornamentis pertexuit, res canendas prout laudibus suis aptas libere elegit nec ut earum verum ac continuum ordinem servaret co actus, vitia praetermittere, floribus tegere potuit: neque tamen ceteris fontibus inferior habendus est, immo haud paucis virtutibus illis excellit. Perscrutantes enim illos tantam intimarum de toto rerum statu opinionum dissensionem cognoscimus, qua etiam de singulis rebus ac viris iudiciorum consensus vel similitudo exstare non potuerit. Gentilium enim, quae veterum deorum cultum spectabant, rerum auctoritas viresque moriturae erant acri quadam desperatione iam repugnantes: novae et christianae res

[1]) Claud. Epist. II, 43—48.

opinionesque victrices victas illas prorsus exstinguere studebant: illae interiturum, hae orturum esse rerum florem lucemque contendebant, cum ubique homines mundi ordinem ac salutem suis de divinis rebus sententiis connectant. Tam igitur contrariis inter se ac fervidis opinionibus occupati et quasi perfusi scriptores de singularum rerum natura sobrie iudicare non poterant. Accedebat iam mentium, quae tum grassabatur, vanitas et, quae mendacia fingit, levitas, ita ut et magis sobrius et probus auctor non ipse mutans aut fingens, dummodo aut vetera aut nova sacra coleret, e nuntiorum valde discrepantium turba eos, qui in suas valebant opiniones, amplecteretur. Quare plane dissidentia de praecipuis illorum temporum viris non solum iudicia, sed ipsae res proferuntur, ut de Constantino, Iuliano, Theodosio[1]). Illa vero mens, quae praecepta aliqua sententia imbuta ac perfusa omnia de singulis rebus nec integris traditis nec diligenti studio examinatis iudicia accommodat, rerum fidem vix minus laedit, quam poetae animus, patrono alicui deditus et addictus, cuius studii et amoris, dum poetae ingenium honestum sit, aliqua certe causa in praedicati viri indole ac moribus posita esse solet. Iam Claudiani, quicunque mores fuerunt, carminibus patet, honesti sensum atque iudicium sanissimum fuisse. Sed ut aequum de poeta statuamus iudicium, e suae aetatis statu examinandus est, ne totius

[1]) Etiam apertissimas, quae sub oculos cadunt, res in diversas partes esse relatas optime docent, quae de Theodosii mensae aut luxu aut parsimonia narrantur. *Zosimus* IV, 27, 28, 34, 45, 50 et *Philostorgius* XI, 2 mensae luxui nimis eum deditum fuisse contendunt, *S. Aur. Victor: Epit. de Caes.* cap. XLVIII, 10 eius temperantiam diserte laudat et *Pacatus Drepanius panegyr.* mensae sumptus ab eo minutos eiusque exemplo privatorum hominum luxuriani coercitam esse narrat.

aetatis vitia, quibus singuli viri fere semper affici solent, soli imputemus Claudiano. Ac praecipuum aetatis vitium in *ingeniorum intemperantia quadam et immodico omnia augendi, exaggerandi stimulo* positum est, quo mens certis imaginum modis ac finibus contemptis nullos rerum gradus cognoscit sed omnia aut summa aut infima, aut optima aut pessima existimat. *Quod maxime conspicuum est in largo quem adhibet mythorum apparatu.* Neque iis ita utitur, ut suae aetatis res ac viros illis summis et praeclarissimis humanarum rerum imaginibus comparando appropinquare studeat, sed mythos ut multo inferiores suis rebus substernit. Ita multis ac molestis utitur argutiis ut mythorum imagines arcessitas ab ipsius aetate valde superari diserte demonstret. Ac quo inanior sit res laudanda, eo uberiorem esse poetam in his comparationibus cumulandis, ita ut Honorium omnibus diis, ipso Iove augustiorem praedicet, postea iam apertius elucebit. Iam alterum, quo iniquius iudicium Claudianus facile subire possit, vitium *vilitate et mediocritate multarum, quas canit, rerum procreatur, qua poeta cogitur, ut artificiosa laudum argumenta arcessat ipsius ingenio aperte repugnantia.* Aliis enim locis prorsus contrariam eamque sanissimam de iisdem rebus sententiam prodit. Ita eodem carmine, quo Honorium laudat nulla privatae sortis contagia passum, Theodosium effert, qui non generis dono imperium nactus sit[1]. Ita cum multis locis aetatis suae fortunam summis laudibus praedicet, cuius viri ac res splendidae praeterita tempora longe superent, aliis locis temporum vitia cladem que sano iudicio perspicit[2]: aetatem suam ut luxu ac mollitia effeminatam carpit, quae leves calamitates sustinere non possit[3], Sti-

[1]) De IV cons. Hon. 41 sqq. et 121 sqq.
[2]) De laud. Stil. II 201, in Eutr. II, 126.
[3]) De bello Getico 160 sqq.

liconis severos mores corruptis aevi moribus opponit[1]). Ac lubentissime in describenda veterum morum simplicitate ac temperantia versatur[2]), quae imagines, etsi diligentissimum quo poeta Virgilii, Lucani, Ovidii, Senecae opera perlegit studium redolent[3]), eo certius de Claudiani ingenio iudicium faciunt, quod profecto non ingenii inopia uberrimus poeta ad talem quasi ornatum orationi inserendum perducebatur. Neque minus Claudianus *summum liberae reipublicae amorem aperte prodit*[4]) idque ipsum in Honorii Stiliconisque laudibus effert, quod vetera reipublicae instituta priscaeque libertatis quasi membra revocaverint, senatus populique auctoritatem restituerint. Cuiusmodi res si tanto studio ac gaudio effert eo graviores sunt, quod *poetico splendore* allicere Claudianum non poterant. Porro ex praeceptis, quae apud poetam nostrum[5]) Theodosius dat filio suo, optime colliges, quas virtutes Claudianus imperatori maxime necessarias existimaverit: nempe animi continentiam, clementiam, modestum, qui publicam voluntatem spectat animum; odit et potestatem, quae sola origine nititur et regni superbiam, quam nec in Caesare nec in Tarquinio a populo toleratam esse memorat. — Quibus omnibus id tantum prohibere volui, quominus ex *eius carminum apertis vitiis* iniquius et inanius de *poetae mente ac natura* iudicium statueretur. Iam quid porro e Claudiani *vitae condicione, vitiis ac virtutibus conspicuis* ad eius fidem certius definiendam concludi licet? — Cum alii, qui nobis praesto

---

1) De laud. Stil. II, 116.

2) De IV cons. Hon. 399—418; In Ruf. I, 52, 200—204; In Eutr. I, 435.

3) Cf. Barthii et Heinsii commentarios.

4) De b. Gildon. 49—51, 76 sqq.; De IV cons. H. 310; De b. Get. 105; De l. Stil. III, 89.

5) Claud. De IV cons. Hon. 214—352.

sunt, scriptores nec *domicilio suo rebus ac viris descriptis tam vicini nec res dum praeparantur et peraguntur, ut Claudianus, oculis quasi sectati multis ac contrariis inter se nuntiis in accommodanda suis opinionibus rerum narratione valde adiuvarentur, poeta noster, si in sua studia res vertere volebat, aperta mendacia fraudis sibi conscius fingeret necesse erat.* Neque poterat, etsi voluit, Claudianus *rerum ut ita dicam externa corpora* laedere, cum auditores vel lectores recentissima eas tenerent memoria neque coram his plane mentiri liceret. Quibus vero remediis et artibus *rerum colorem* suis studiis accommodaverit, diligentius nunc inquiramus.

Primum e Claudiani ingenio esse apparet res ac viros ita describere, ut eorum imagines mente perceptas *libere compleat et augeat.* Quare ut Stiliconi omnes omnino tribuit virtutes et, quae in aliis omnibus mortalibus dispersa et singula eniteant, in Stilicone solo consociata esse dicit[1]), ita dispertita inter alios impios viros vitia Rufinus collecta tenet[2]) et ipsa Megaera peiori se viro quasi invidens a poeta describitur. Quid iam veri in hoc universo virtutum et vitiorum tanquam cumulo insit quomodo cognoscitur? Nonne poeta certarum personarum atque historiae ratione prorsus neglecta meras imagines finxisse videtur optimi et pessimi hominum, quorum alteri Stiliconis, alteri Rufini indidit nomen? Non tam vilem et incertum testem Claudianum esse contendo: *remoto enim mythorum, figurarum toto apparatu in iis tantum vitiis et virtutibus certius et largius describendis versari eum perspicimus, in quibus versari salva fide bonaque mente ei liceat.* Ita *Olybrius* et *Probinus* consules rhetoricis, qui eius aetatis et Claudiani

[1]) Claud. De laud. Stil. I, 24—35.
[2]) Claud. In Ruf. I, 89—115.

erant, floribus supra omnes, quos Roma procreavit, viros efferuntur[1]; ubi vero *ad singulas virtutes describendas* aggreditur, eorum *eruditionem*, *eloquentiam*, *temperantiam*, *severitatem* praedicat[2]), quas si *libere et leviter* arcessitas esse suspicaris, cur non *plures et splendidiores* virtutes elegerit poeta iure mireris. Idemque de *Probi* patris laudibus valet, cuius magnam gloriam communibus orationis figuris tollit[3]), praecipuam vero ac paene solam virtutem *summam liberalitatem* diserte praedicat[4]), quam nec inter singulares nec inter sublimiores numerandam profecto ideo tantum describit, quia re vera ea potissimum Probus excellebat. Accedit, quod summa quae de tota Hesperia Probus sibi comparaverit merita, poeta *brevissime* attingit[5]); *quae fusius exposuisset, nisi merum orationis ornamentum ea peperisset; sed ad tritissimos poetarum flores statim se convertitur Claudianus.*

Eadem causa e corporis exercitationibus *praesertim equitandi et venandi artibus sat vulgaribus tam uberrime descriptis*[6]) *valuisse iis revera Honorium* iure concludas. Porro *Serenae* Stiliconis uxoris eruditionem litterarumque studium, quod non inter communes quae feminis tribuuntur laudes est, disertius nec usitato verborum ornatu memorat[7]), ita ut hac virtute excelluisse ea putanda sit. Ita latentem quasi sub illo imaginum et luxuriantium sententiarum cumulo rerum verum statum cauta inquisitione saepe elici posse videmus. Ubi vero gravissimas virtutes, vitia, res quascunque *breviter ac leviter* tantum perstringit quasi officio et necessitati satisfacturus, iusta suspicione eas examinabimus.

Dein cum Claudianus *argutarum et salsarum com-*

---

[1]) In Prob. et Olyb. cons. 142—150; [2]) vss. 150—155; [3]) vss. 166—174, 31—41; [4]) vss. 42—54; [5]) vss. 167—168; [6]) De III cons. Hon. 40—50; [7]) De nupt. Hon. et Mar. 230 et Epigr. V, 3.

parationum et descriptionum valde studiosus sit, interdum ut rerum et verborum acumen efficiat aliquid addere, res augere eum vix mirum est. Ita in Eutropii fortuna describenda servilem Byzantini senatus animum et foedam, qua Eunuchum colebant, adulationem tam diserte et vivide describit [1]), ut eo acerbior evadat irrisio tantis honoribus vili eunucho tributis; in Rufino carpendo, quem haud dubie non minori quam Eutropium colebant devotione et obsequio, illam descriptionem ommittit, *quippe quae hoc loco salem illum non habeat.*

Etiam acutam illam paratae iam in Thracia pugnae descriptionem [2]), quae Arcadii edicto Stiliconem Orientali imperio discedere iubentis prohibetur, eodem sensu accipiendam esse puto. Parum enim verisimile mihi esse videtur *ipso illo temporis momento*, quo exercitus parati ac dispositi pugnam commissuri erant, Arcadii litteras allatas, Stiliconem vero cum Occidentalis imperii copiis statim reversum esse certa victoria praetermissa. Voluit haud dubie Claudianus cum Stiliconis continentem ac religiosum animum tum Rufini perniciosam proditionem, qui hostes terribiles ac totam Graeciam vastaturos *in miseriae quasi limine* Stiliconis manibus eripuisset, acutissime et salsissime describere. Ita ea, quae Rufini necem praecedunt [3]), praesertim mira in Arcadium insolentia, qua imperii partem sibi vindicat, ideo finguntur, *ut hac superbia et audaci fiducia foedus interitus eo acerbius discrepet.* Ita *Leonis* exercitum vino cibisque gravatum ab hostibus deletum esse narrat [4]), quia haec cladis causa poetae, qui ubique Eutropii totiusque Byzantini imperii enervatas et marcidas vires

---

[1]) Prolog. in Eutr. II 57—58; in Eutr. II 63—70, 134—140.

[2]) In Ruf. II, 171 sqq.

[3]) In Ruf. II, 292—400, praecipue vss. 380—384.

[4]) In Eutr. II 432 sqq.

perstringit, acerbissima et aptissima visa est. Inde et descriptio servilium, quibus Eutropius functus est, munerum[1]), adulantium titulorum quibus eius statuae ornatae erant[2]), porro *Eutropii iudicis* descriptio[3]) orta est. Crudelissimas quidem in iudiciis sententias Eutropium imperatori iudicibusque quasi in aures insusurasse Zosimus narrat[4]): ipsum iudicis munere functum esse Eutropium non traditum est: satirae vero Claudianeae fuit foedum servum describere *omnia omnino munera et consulis et iudicis et ducis maculantem.* Huc etiam illud spectat, quod *contemtu liberum* factum Eutropium poeta dicit[5]), sororique suae interdum imperii curam tradere[6]), quodque de eius sociorum iura regentium notis inustis loquitur[7]): *quae omnia totius Orientalis imperii administrationis acerbissima irrisio gignit;* neque *Hosii* descriptio[8]) eius verae naturae accommodata est, sed *ut acuti evadant lusus verborum*, qui coqui opificium, quo antea functus erat Hosius, describunt, *Leonis* descriptio[9]) plus habet fidei, *quippe quae non tam acutis et facetis significationibus orta sit.* — Neque *temporum rationem* ubique strictam servat Claudianus acuminandae rei studio pellectus. Ita Honorium ipso anno natali iam consulem factum esse canit[10]). Iam cum consul esset Honorius a. CCCLXXXVI, Claudiano teste natus est a. CCCLXXXV. Alii fere omnes scriptores[11]) a. CCCLXXXIV eum natum esse referunt neque meo iudicio de eo dubitari licet. *Claudianus enim levis illius vitii negligens ut eximiam*

---

[1]) In Eutr. I, 32—131; [2]) In Eutr. II, 79—84;
[3]) In Eutr. I, 229—234; 297; II, 72; [4]) Zosim. V, 9—10.
[5]) In Eutr. I, 132; [6]) In Eutr. II, 88—95;
[7]) In Eutr. II, 342—345; [8]) In Eutr. II, 347—350.
[9]) In Eutr. II, 376—390. [10]) De IV cons. Hon. 153.
[11]) Prosperi chron.; Idatii chron. et fast.; Marcellin. Com. chron.; chron. Alexandr.; Socratis hist. eccles.

pueri fortunam argute et facete describat, consulatum in ipso anno natali ponit.

Porro cum Claudiano — quod iam diximus — externum rerum statum et apertum exitum laedere non liceret, tria restabant remedia, quibus res minus splendidas tractare poterat. Etenim aut reticere eas aut artificiosa quadam describendi ratione, larga excusatione et explicatione tueri et in sua studia vertere aut prudenti celeritate narrationem praecidere et ad aliud transire ei licebat. Ita in bello Gildonico describendo id ipsum, quo Stiliconi multum profecto gloriae adimitur, dico quod expeditioni felicissimae ipse non interfuit, ut summam Stiliconis prudentiam totiusque laudis quasi florem effert [1]). Bellum Geticum enarrans id Stiliconi magnae laudi tribuit poeta, quod Alaricum non funditus deleverit, sed tantum depulerit [2]). Belli vero in Thracia gesti narratione non absoluta exitum in dubio relinquit [3]); etenim etsi ipsum Martem arcessit eiusque et Stiliconis quasi socii splendidam virtutem praedicat, tamen ipsius pugnae descriptio tam brevis et vaga est tamque vulgarem et rhetoricum ornatum praebet neque disertis aut sobriis verbis victoriam reportatam esse dicit, ut non apertum victorem Stiliconem extitisse iure concludas; idque ipse poeta comprobare videtur, cum pugnae descriptione praecisa [4]) Megaeram fingat Iustitiam acerbissime irridentem, hanc imminenti Rufini morte futuraque gloria se consolantem. — Eadem ratione belli in Graecia gesti narrationem [5]) subito abrumpit in septemtrionalia transcurrens. Getas prosus inclusos et aqua prohibitos esse refert; qui vero exitus totius belli fuerit, non dicit. Narrat quidem alio loco [6]), Alaricum tum foedere servatum esse, quod Arca-

---

[1]) De laud. Stil. I, 333—346; [2]) De VI, cons. Hon. 300—308;
[3]) In Ruf. I, 308—387; [4]) In Ruf. I, 354;
[5]) De IV cons. Hon. 459—484; [6]) De b. Getico 516—517.

dius cum eo inierit. Sed hanc non veram fuisse causam cum totius rei et Stiliconis natura, tum id ipsum comprobat, quod priori loco nihil eiusmodi profert. Num vero is, qui omnem Orientalis imperii et Eutropii carpendi et increpandi materiam tam cupide arripit, illam ommittere potuit eoque ipsas patroni sui res in suspicionem vocare? *Sed fuit belli exitus re vera Stiliconi inglorius etsi certa eius culpa inde elici nequit.*

Porro Claudianus cum tantis poetici ornatus copiis abundet summaque voluptate in splendidis mythorum imaginibus versetur, plurimum fidei merere mihi videtur ea proferens, quae nec pulchrarum descriptionum et imaginum nitore eum allicere nec laudibus sive excusationi eius, a qua poeta stabat, partis inservire poterant. Cuiusmodi cum quodvis carmen plurima nobis praebeat exempla, afferre ea supervacaneum arbitror. Id solum observandum est, quod poeta, qui parva et levia non anxia et accurata historici mente aestimat, in iis interdum negligens esse potest.

Cautam vero examinationem ea requirunt, quae intimas rerum causas, virorum cogitationes, animorum habitus describunt, quippe in quibus Claudiani ingenio libere ac pro ipsius indole ac studiis versari liceat. Ita Rufini desperatio quae proditionem gignit ingensque angor Stilicone appropinquante[1]) non plus habent fidei, quam causa illa a Claudiano fusius prolata[2]), qua Stilico ad revertendum liquendamque victoriam permotus sit. De hac Stiliconis expeditione ante iam commemorata hoc loco certum statuamus iudicium. Stiliconem Arcadii literis ut reverteretur permotum esse, negandum mihi esse videtur hisce causis. Primum Stilico facile praesagire poterat, Rufinum illo edicto ab Arcadio extorto

---

[1]) In Ruf. II, 130—169; [2]) In Ruf. II, 195—256;

se defensurum esse: cur igitur expeditionem paravit? Deinde etsi summa fuit Stiliconis erga utrumque imperatorem fides ac religio, perniciosis et extortis a principe literis non parere, quam tot gentes terrasque tam saevis hostibus proiicere profecto malebat. Denique cum se verum et iustum Arcadii tutorem a Theodosio constitutum Stilico semper praeberet, edictum Rufini auctoritate emissum inane et futile haberet oportebat. Quae igitur causa fuit, cur Stilico re infecta recederet? Si reputas sat longum esse temporis spatium inter veris initium[1]), quo Stilico Italia profectus est et diem XXVII mensis Novembris[2]), quo Orientales copiae Constantinopolim adeptae Rufinum occiderunt, addisque quae de Gothorum castris obvallatis diserte narrat Claudianus[3]), totamque huius expeditionis naturam respicis, in hanc adducaris sententiam. Cum Romani per aliquantum temporis frustra contra Getas castra posuissent, Stilico Getas tunc haud opprimendos esse ratus, ut recedendi causam haberet, qua simul militum in Rufinum odium augeret, Arcadii literas haud dubie contra ipsum emissas praetendit; quas profecto iure neglexisset, si hostes devincere potuisset. Ita et Claudiani descriptionis et rerum naturae optima ratio habetur. Nec melius poeta Stiliconis gloriae consulere potuit, quam victoriae, quam tum reportare non potuit, plenam gloriam et quasi facultatem Stiliconi, totam vero oppressae victoriae culpam Rufino tribuens. Eadem ad Alarici animi et consiliorum descriptionem[4]), ad multos Eutropii Stiliconis Honorii affectus consiliaque pertinent.

Denique e silentio poetae interdum concludi licet, si

---

[1]) In Ruf. II, 101—102;

[2]) Socratis hist. eccles. VI, 1; chron. Alexandr.; Theodos. cod. cf. leges a. CCCXCV datas; [3]) In Ruf. II, 124—130.

[4]) Cf. quae infra de Claudianea Alarici descriptione disputabimus.

rem sive ab alio scriptore narratam sive undecunque petitam, quae cum Claudiani parti favet, tum ab eo sciretur necesse erat, eius carmina ne attingunt quidem. Ita quae Rufino a Zosimo[1]) imputatur Promoti caedem illi non tribuendam esse puto, quod Claudianus, qui omnia Rufini scelera ac vitia tanto congessit studio, Promoti a barbaris necati Stiliconisque, qui eum ultus sit disertam mentionem facit, de Rufino vero necis auctore ne suspicionem quidem profert. — Porro Alarici uxorem pugna apud Pollentia facta non captam esse, Claudianus ipse mihi comprobare videtur, etsi Gibbonium[2]) ipse poeta noster adduxit ut captam illam esse putaret. Commemorat quidem duobus locis[3]) poeta pignora nurusque captas: quae verba ad omnium Gothorum mulieres liberosque spectare una cum castris a Romanis captos, iam inde apparet, quod eo minus impeditam expeditionem fore Alaricus apud Claudianum dicit; ipsam Alarici coniugem captam esse, nusquam diserte dicit poeta, immo eius ululatum et maerorem describit[4]) superbiamque, quae Romanas famulas alta cervice petierit, misere fractam. Num poeta qui res, sortes inter se contrarias tam acerbe et facete comparare solet, tumidae mulieri nobilissimas ancillas a marito flagitanti eiusdem mulieris captivae imaginem conferre neglexisset, si re vera illa capta esset?

Denique si Claudianus eas reipublicae quasi virtutes, quae natura sua omnibus conspicuae sunt singulas praedicat, certorumque vitiorum absentiam diserte laudat, contraria his laudibus mala valere profecto nequi-

---

¹) Zosim. IV, 51.

²) Gibbon: The History of the Decline and Fall of the Roman empire V, p. 200.

³) De VI cons. Hon. 243 et 297—298.

⁴) De b. Get. 625—633.

bant, quae si valuissent, illis laudibus acerbissima et apertissima exstitisset satira. Ac si reipublicae statum qualemcunque Claudianus ut laudaret coactus erat, vulgaribus profecto ac rhetoricis sententiis ac floribus miserum statum descripsisset ornassetque *nec ipsa quae dominabantur mala ac vulnera diserte et singula enarrata quasi digito demonstrans ea adesse negasset*[1]). *Quare — id quod gravissimum mihi esse videtur omnium, quae Claudianus historiae certius examinandae praebet* — si Eunapius ac Zosimus Rufini et Eutropii scelestam ac rapacem rerum administrationem iure etiam Stiliconi imputassent, *Claudianus illorum vitia ac scelera Stiliconi non singula opposuisset.* Aperte cognoscimus, Claudianum pulchrarum imaginum studiosum in rerum et temporum veram et simplicem naturam sobrie describendam non descendere, *nisi re vera boni ac praeclari aliquid praedicare ei liceat.*

Ita pugna apud Veronam facta nullo iure ab Aschbachio[2]) in dubium vocatur, cum et multarum ac singularum rerum certissima expositio[3]) illam comprobet nec Claudiano ipsius temporis pugnam aliquam libere comminisci licuerit. Alia quae huc spectant postea proferemus.

---

[1]) De IV cons. Hon. 488—513, praesertim 493—500:

„Nullae nobilium caedes: non crimina vulgo
Texuntur: patria maestus non truditur exsul:
Impia continui cessant augmenta tributi:
Non infelices tabulae: non hasta refixas
Vendit opes: avida sector non voce citatur;
Nec tua privatis crescunt aeraria damnis."

De laud. Stilic. II, 111—184, praesertim 145—147:

. . . Non indecores aeraria lassant
expensae: parvo non improba litera libro
absentum condonat opes . . .

[2]) Aschbach: Geschichte der Westgothen, Cap. II, pag. 76.

[3]) Claud. De VI cons. Hon. 201—226.

Iam investigatis praecipuis, quae de Claudiani carminibus in historiae usum adhibendis observandae sunt quasi legibus, principes viros et gravissimas res, quae illis temporibus et ipsis Claudiani carminibus eminent diligentius examinemus, *ceteris fontibus cum Claudiani descriptionibus accurate et caute conlatis.*

Primum de *Stilicone*, quem fere omnia spectant Claudiani carmina oritur quaestio, quam nusquam certo iudicio absolutam, ne iuste quidem institutam esse a scriptoribus valde miror. Neque enim fontium auctoritatem, opinionum ac rerum enarratarum discrepantias cauto quidem sed forti iudicio examinarunt, nec multis, quae Stiliconis traduntur, rebus gestis et consiliis quem tandem ille vir spectaverit finem inquisiverunt. — *Tillemontius*[1]), qui cum rerum ubertate summaque in colligendis fontium quasi guttis diligentia tum iudicii hebetudine excellit, quippe qui christianis auctoribus ubique faveat, paganis ubique diffidat, ideo Stiliconem damnat, quod christiani auctores eum accusant, pagani vero Olympiodorus et hunc secutus Zosimus a gravissimis defendunt criminibus; id solum improbat, quod non *e legum ratione* damnatus sit. — *Gibbonius*[2]) quamvis aperto quodam studio Stiliconis ingenium virtutesque in tanta omnium rerum hominumque debilitate eo magis conspicua describat, tamen nec intima eius consilia inquirit nec tot criminibus disertis causis eum liberat. — *Ch. F. Schulzius*[3]), qui modico libello Stiliconis res et ingenium describere conatus est, inter diversas auctorum

[1]) Histoire des Empereurs. Tome V, Partie III, praesertim Article I. pag. 1071.

[2]) Gibbon: V, chap. XXIX et XXX.

[3]) Flavius Stilicho, ein Wallenstein der Vorwelt. Altenburg 1805. Cf. pag. 10—14, pag. 52, 158: „Sein Streben nach dem morgenländischen Illyrikum verräth mehr rachsüchtige als ehrgeizige Absicht“ — pag. 159.

partes fluctuat, modo bonos, modo improbos Stiliconis mores iudicans. De Stiliconis consiliis prorsus non perspectis inepte nugatur, miserrimum et omni ratione et utilitate destitutum consilium ei tribuens Orientalis imperii infringendi ac tamen de vindicato Stilicone ab inimicorum criminibus ineptit. — Sed ipsi fontium auctoritatem examinemus.

Primus nobis auctor exstat Eunapius Sardianus, cuius historias[1]) a Zosimo in angustius coactas esse fragmenta aperte docent; quo gravius est, ut certum de eo statuatur iudicium. — Vixit Eunapius iisdem quae descripsit temporibus nec tamen inde plus fidei assumat hisce causis. Vixit enim Eunapius in Oriente, ubi Stiliconis, qui viris Orientale imperium administrantibus acerrimus exstitit inimicus, ingenium moresque ab illis prorsus deformati omnibus insimulabantur criminibus; ipse imperii hostis publice declaratus erat. Neque Eunapius etsi aulam Byzantinam plane despiciebat, eo ut melius de Stilicone existimaret adducebatur, imo ut eodem quo Orientis res virosque damnabat iudicio etiam Occidentem Stiliconemque complecteretur, tres effecerunt causae. Primum cum iam florerent in Occidente Stiliconis res, nec accuratae rerum narrationes nec iusta iudicia in Orientem veniebant, quae aulae Byzantinae calumnias infringerent; ipse enim Eunapius negat[2]), Eutropii tem-

---

[1]) *Τῆς μετὰ Δέξιππον ἱστορίας χρονικῆς* fragmenta vid. in C. Muelleri: frgm. hist. Graec. vol. IV, 7—56.

[2]) Exc. De sententiis p. 282—283; Mueller: frgm. LXXIV p. 46: „*Ὅτι κατὰ τοὺς χρόνους Εὐτροπίου τοῦ εὐνούχου τῶν μὲν περὶ τὴν ἑσπέραν οὐδὲν ἀκριβῶς γράφειν ἐξῆν εἰς ἐξήγησιν. Τό τε γὰρ διάστημα τοῦ πλοῦ καὶ μῆκος μακρὰς ἐποίει τὰς ἀγγελίας καὶ διεφθαρμένας ὑπὸ χρόνου, καθάπερ ἐςχρόνιον καὶ παρέλκουσάν τινα νόσον μεταβεβλημένας· οἵ τε πλανώμενοι καὶ στρατευόμενοι εἰ μέν τινες ἦσαν τῶν περὶ τὰ κοινὰ καὶ δυναμένων εἰδέναι, πρὸς χάριν καὶ ἀπέχθειαν καὶ τὰ καθ' ἡδονὴν ἕκαστος κατὰ βούλησιν ἀπέστειλεν κτλ.*“

poribus quidquam accurate scribi potuisse, quod et nuntii longo maritimo cursu corrupti essent et peregrinantes militantesque viri aut odio aut gratia ducti, quae cuique placuissent, temere nuntiassent et marcatores lucri causa quaelibet mentiti essent. — Occisi autem Stiliconis cum inimici rempublicam tenerent, etiam in Occidente iudicium de eo prorsus mutatum erat, ita ut praedo et hostis publicus declaratus et patriae et imperatori turpiter insidiatus esse diceretur. Scripsisse vero Eunapium historiae suae partem inde a Theodosii M. morte usque ad annum CCCCIV pertinentem post annum CCCCXIV, fragmentum[1]) quod ad Pulcheriae tempora spectat, aperte docet. Patet igitur aequum et integrum de Stilicone iudicium si quis statuere voluisset, non solum diligenti fortique vilium nuntiorum examinatione, sed etiam studio quodam et amore illius viri, quae ingentem criminum quasi acervum diluerent, opus fuisse: quod utrumque Eunapio prorsus deerat. Accedit iam quod humana natura ea, quae externam aliquam similitudinem habent simili iudicio facile comprehendit. Fruebatur Stilico eadem cum Rufino et Eutropio vitae conditione, potentia; par in utroque imperatore animi fuit imbecillitas. Quid mirum, quod in tanta iudiciorum et nuntiorum vilitate cum odium et stultitia Stiliconis res moresque criminibus ac calumniis obruissent, scriptor praesertim is, qui rhetoricis artibus studet, illos viros una fervida descriptione confudit? Iam vero — id quod gravissimum est, — Eunapii tota cogitandi sentiendique ratio cum vulgari de Stilicone iudicio conspiraret necesse erat. Puer iam Eunapius Chrysanthio[2]) gentili theologo

---

[1]) Exc. de sent. pag. 292—295. Mueller frgm. LXXXVII pag. 53. Cf. etiam pag. 8.

[2]) Eunap. Vita Chrysanthii p. 117 ed. Boisson.

ac Lydiae pontifice usus praeceptore, deinde Proaeresii[1]) Atheniensis discupulus factus aetatis anno vicesimo[2]) Iamblichi doctrinae theurgicae arcanis ac mysteriis Eleusiniis imbutus est. Dein in Lydiam reversus[3]) Chrysanthio iterum magistro sublimioris philosophiae praecepta amplectebatur. Erat igitur Eunapius ex fervidis illis occumbentium rerum paganarum defensoribus, qui cum illarum interitu toti terrarum orbi noctem putabant ingruere. Quare omnes omnino calamitates e deorum contempto cultu nasci ratus, sicut ab initio historiarum suarum tanquam amator Iulianum spectat[4]), cuius similem imperatorem ne deus quidem praestare possit quique divina sua natura vitae necessitatem in deterius omnia trahentem superans coeli bona cognoverit et divinis numinibus familiariter usus sit[5]), ita Theodosium imperatorem quippe qui christianae fidei studiosissimus fuerit nullum improbitatis et intemperantiae modum abhorruisse[6]), negligentem et omni socordiae deditum[7]) dicit. Ac communes illae de crescentibus in dies malis sententiae, de impetu et vehementia, qua ad lasciviorem vitam omnes rapiantur[8]), de inexorabili vi ac necessitate insuperabili et divina, qua tunc omnia collapsa circumferantur[9]), optime demonstrant Eunapii iudicia non ex singulis rebus virisque sobrie et diligenter examinatis profluere, sed ex praecepta illa opinione de arta, quae inter mundi salutem et deorum cultum intersit, coniunctione. Quam opinionem

[1]) Eunap. Vita Proaeresii p. 74. [2]) Eunap. Vit. Soph. p. 20.
[3]) Idem p. 114.
[4]) Exc. de sent. p. 254—55, Mueller frgm. VIII p. 15.
[5]) Exc. de sent. p. 261, Mueller frgm. XXIII, p. 23 sq.
[6]) Exc. de sent. p. 273, Mueller frgm. XLVIII, p. 35.
[7]) Suidas s. v. ἐκμελές, Mueller frgm. XLIX.
[8]) Suidas s. v. Ῥύμη, Mueller frgm. IL.
[9]) Exc. de sent. p. 279, Mueller frgm. LVI.

iam multo vehementius et uberius expressam ab Eunapio legeremus, ni fragmenta in Constantinianis eclogis extantia ex altera Eunapii editione sumptae essent, in qua ex Niebuhrii[1]) sententia Photii verbis sat comprobata in christianus aliquis bibliopola plurima, quae in christianam fidem emiserat auctor, convicia ac crimina exstinxit. Eiusmodi igitur Eunapii opiniones si cum causis antea commemoratis connectis, Stiliconem cum Rufino et Eutropio prorsus confundi ab eo vix mireris.

Plenius et largius quomodo paganarum rerum defensores totam temporum et virorum descriptionem fervidis suis opinionibus infecerint, Zosimi docet historia, cuius duplex de Stilicone extat iudicium, alterum *Eunapii*[2]), alterum *Olympiodori*[3]), cuius λόγους ἱστορικοὺς inde ab anno CCCCVII usque ad annum CCCCXXV pertinentes in postrema historiae suae parte expressit. Sicut Polybium crescentem reipublicae magnitudinem ita se labentis imperii causas narraturum esse profitetur[4]), quas in neglecto deorum cultu et perniciosa christiana fide recepta positas esse putat. Toto corde omnia paganae fidei instituta et insignia amplectitur, oracula tanti aestimat, ut quamvis brevi rerum enarratione diligenti ubique ubertate ea exponat[5]); praesentium temporum calamitates inde oriri contendit, quod post tertium Constantini consulatum ludi seculares non celebrati sint[6]); maiorum felicitatem suae aetati, quae divina beneficia aspernetur, opponit[7]), eaque sola a pernicie servari credit quae antiquorum deorum cultum conservarint, ut Athenae Achillis pio cultu vehementi terrae motu non laesae[8]), Alarici furore defensae sint[9]). Deae Virtutis simulacris

---

[1]) Script. Byzant. I, p. 19; Mueller IV, p. 8.
[2]) Zosim. V, 1, 4, 7, 11, 12; [3]) Idem V, 32, 34.
[4]) Idem I, 57; [5]) Idem I, 57, 58; II, 5, 6, 36 al. ll.
[6]) Idem II, 7; [7]) Ibid. [8]) Idem IV, 18; [9]) Idem V, 6.

conflatis quod iam restabat virtutis ac virilis animi exstinctum est[1]). Serenam et ipsum Stiliconem impia in deos mente calamitatem suam meruisse putat[2]). In statuarum incolumitate et ornatu imperii fortunam ita positam credit, ut miseriae fastigium ascendisse dicat Romanos, cum statuas ad pecunias Alarico solvendas ornatu exertas quasi exanimes et invalidas reddiderint[3]). — Quare vel apud Zosimum vulgares illas ubique invenimus sententias de imperii fortuna in dies celerius ruenti[4]), hominum a malo quodam numine gubernata[5]). Quid igitur fidei Zosimo in rebus huc pertinentibus tribuendum sit, facile liquet. Studet quidem Reitemeierus in disquisitione sua[6]) in Zosimum eum ab hac parte defendere, sed prorsus infeliciter rem aggressus. Non enim mutasse res subdole aut finxisse, immo ne reticuisse quidem malo consilio auctor a nobis arguitur, sed cum Eunapii vestigiis institisse apertus sit eandemque cum illo de imperii statu ruinaeque causis opinionem haberet, nihil profecto causae ei fuit, cur de nuntiis et iudiciis suam de temporum statu sententiam confirmantibus dubitaret. Prius igitur, quod de Stilicone profert Zosimus, iudicium eandam quam Eunapius habet fidem, alterum, quod est Olympiodori, ex eius fide aestimandum est.

Olympiodorus Arcadii et Theodosii II temporibus Byzantii ut videtur vixit et historias suas[7]) composuit. Eum etsi paganum non fervida illa et praeiudicata, quam in Eunapio et Zosimo perspeximus, opinione res diiudicasse, sed solam materiam congessisse Photius[8]) et iis quae dicit et iis quae non dicit aperte docet. Stiliconis necem ab eo nefariam habitam esse, primo quod Photius

---

[1]) Idem V, 41. [2]) Idem V, 38; [3]) Idem V, 41.
[4]) Idem IV, 24, 29, 41. [5]) Idem V, 41; [6]) pag. XXX.
[7]) Fragmenta v. ap. Mueller. IV, p. 57—68. [8]) Phot. Bibl. cod. 80.

affert fragmento[1]) comprobatur, quo Stiliconem multa pro Romanis cum multis gentibus bella feliciter gessisse dicit, donec cruenta et immani Olympii, quem ipse imperatori familiarem fecisset, opera necatus esset: neque de ulla Stiliconis culpa quicquam addit. Quare vix dubium esse potest, quin Zosimi iudicium, quo Stiliconis victoriam de Radagaiso reportatam laudat[2]), ab omni malorum in imperatorem et milites consiliorum crimine eum defendit[3]), modestum eius et probum effert animum, qui nec in suum commodum honores militares vendiderit nec re frumentaria abusus sit[4]), Olympiodori opinionem exprimat. Putat quidem Tillemontius[5]) Olympiodorum et Zosimum Stiliconi ideo favisse, quod pagani Eucherium Stiliconis filium, qui veterum deorum studiosum se praestitisset, imperio potiturum esse sperassent. At primum tam fervidum paganarum rerum studium, quo iudicium mutari possit, in Olympiodoro fuisse nec ipsi cognoscimus nec Photius ne lenissime quidem indicat. Dein nullum constat Eucherii facinus, quo gentilium deorum amor ille a Stilliconis inimicis, qui christianae fidei summum studium ostentabant, clamitatus, tam apertus evadat, ut inde etiam Stiliconem a paganis scriptoribus grato quodam animo defensum esse putes. Nec Stilico

---

[1]) Ibidem. Cf. Mueller. IV pag. 58. [2]) Zosim. V, 26;

[3]) Idem V, 32: *Ἀλλὰ Στελίχων μὲν, οὐδὲν συνεπιστάμενος ἀπηχὲς ἢ κατὰ τοῦ βασιλέως ἢ κατὰ τῶν στρατιωτῶν βεβουλευμένων κτλ.*

[4]) Idem V, 34: *Πάντων, ὡς εἰπεῖν τῶν ἐν ἐκείνῳ δυναστευσάντων τῷ χρόνῳ γεγονὼς μετριώτερος. Θεοδοσίου γὰρ τοῦ πρεσβυτέρου συνοικῶν ἀδελφιδῇ, καὶ ἀμφοῖν αὐτοῦ τοῖν παίδοιν τὰς βασιλείας ἐπιτραπεὶς, τρεῖς πρὸς τοῖς εἴκοσιν ἐνιαυτοὺς ἐστρατηγηκὼς, οὐκ ἐφάνη ποτὲ στρατιώταις ἐπὶ χρήμασιν ἄρχοντας ἐπιστήσας ἢ στρατιωτικὴν σίτησιν εἰς οἰκεῖον παρελόμενος κέρδος. Πατὴρ δὲ παιδὸς ἑνὸς γεγονὼς, ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἀξίαν, ἄχρι τοῦ λεγομένου νοταρίων τριβούνου, μηδεμίαν αὐτῷ περιποιῆσαι ἀρχήν.*

[5]) Hist. d. Emp. T. V. P. III, Art. I, pag. 1074.

ipse quamvis moderatus in rebus ad sacra pertinentibus ne tam leniter quidem paganis rebus propensum se praebuit, ut pii eius inimici inde crimen ipsi afferre possent; imo pagani Stiliconi scelera nonnulla in sacra commissa crimini dederunt[1]). Neque mea quidem sententia sola, quae ex perspecto Eucherii filii non aperto, sed leni veterum deorum studio profluere poterat, iudicii quasi benevolentia tantum valere potuit, ut quis vulgarem, quae cum in Oriente tum in Occidente studiose nutrita ingentique, quae in Occidente secuta est, rerum ruina confirmata erat, de eius culpa opinionem repelleret eumque tam certis laudibus defenderet, si re vera eius vitia et scelera erant aperta nec in dubio ponenda. Ac si Eucherii illa mens Olympiodorum commovit, ut melius etiam de Stilicone cogitaret, cur non Eunapius multo fervidior eadem causa ei pepercit? — Olympiodorum igitur haud spernendum esse testem demonstrasse mihi videor.

Prorsus contrariam Eunapio et Zosimo de divinis atque humanis rebus opinionem *Orosius* habet. Scripturum se esse professus contra eos, qui suae aetatis miserias omnes ex nova christiana fide accepta profluere contendant ipse efficere studet: „praeteritos dies non solum aeque ut hos graves, verum etiam tanto atrocius miseros quanto longius a remedio verae religionis alienos[2]).“ E sacris igitur, quae colant, cum hominum virtutes aestimet nec tam atrox noverit scelus, quod infestus christianae fidei animus non possit perpetrare, ita ut de Iuliani imperatoris interitu valde gaudeat[3]), quippe quem ante Parthicum bellum Christianorum sanguinem diis vovisse, finito autem feliciter bello episco-

[1]) Rutilius Namatianus de red. suo II, 51; Zosim. V, 38.
[2]) Orosius praef. ad Augustinum.
[3]) Idem VII, 30.

pos et monachos laniandos bestiis proiecturum fuisse contendat, quid mirum, quod si Eucherium Christianis non faventem alicunde sive iure sive errore putabat, necem Stiliconis et Eucherii, qua ingens ab Ecclesiis periculum defensum esse ipsi persuasum erat[1], iustam esse ratus omnia, quae de Stiliconis eiusque partis nefariis consiliis narrabantur, libenti fide amplexus est? Unde vero Orosio de Eucherii paganarum rerum studiis persuasum erat? Coniunctus erat illi parti, quae Stiliconem eiusque socios accusavit et perdidit: acerrimus enim Stiliconis inimicus, qui eius necem paravit, Olympius Augustini amicus erat et studiosissimus quasi discipulus[2]: Orosius autem Augustino familiaris. Facile igitur totum odium et omnia crimina, quibus ab illa parte Stilico oppressus erat, Orosius amplectebatur.

Iam alia tum Romanorum pars exstabat, quae prorsus diversa ab illis opinione praesumpta Stiliconem damnavit. A qua parte stat *Rutilius Namatianus* poeta, qui carminis quod inscriptum est: „De reditu suo" libro altero[3]) Stiliconem vehementer carpit, quippe qui barbaris Italiam prodiderit. Primum reputandum est, post captam et spoliatam ab Alarico urbem i. e. acerbo recentis calamitatis sensu cecinisse poetam; iam vulgaris opinio, qua Stilico scelesta cum Alarico amicitia coniunctus illum ad invadendam Italiam adduxisse arguebatur eo tenacius animis insedit, quo minus aequi et cauti iudicii recens dolor relinquere solet. Deinde vero — id quod gravissimum est — Rutilius Namat. multique alii viri, cum pristinum Romani imperii splendorem fervida colerent memoria, maiorum virtutes ac nobilem superbiam et admirarentur et desiderarent: quid praesens

[1]) Oros. VII, 38.
[2]) Augustini epist. 124, 129, ed. Bened.
[3]) vss. 41—60.

rerum status posceret, sobrio et prudenti iudicio perspicere omnino non poterant. Somniabant illi viri iam ex antiquo illo ac superbo Romani imperii more dimicandum et agendum esse tristi rerum mutatione prorsus neglecta. Quare Stiliconis prudentem et rerum angustiis accommodatam imperii administrandi rationem cum intelligere non possent, proditionem suspicabantur in iis, quae sublimem ipsorum et splendidam sed umbratilem pristinae magnitudinis imaginem non decebant.

Patet igitur, quot diversae sentiendi et cogitandi rationes effecerint, ut Stiliconis memoria foedissimis obruta sit criminibus. Iam vero qualia sint singula crimina inquiramus. Compellatur ab Eunapio[1]) iisdem quibus Rufinus criminibus; de his dixi iam antea. Liquet profecto, quam vilia habenda sint iudicia plures res ita comprehendentia, cum accurata inquisitio res non confundat, sed discernat. Idem valet de Zosimi iudicio[2]) ex Eunapio deducto, quo nihil vitii profertur, quod ad Stiliconem solum nec ad Rufinum pertineat. Alio loco[3]) Stilico cum Eutropio confunditur eiusdem rapacis avaritiae accusatus; post communem vero utramque descriptionem ad Rufinum et Eutropium solos res narratae spectant[4]). Accedit, quod haec crimina nullo certo exemplo aliunde allato confirmantur, cum Rufini et Eutropii certissima scelera diserte nobis enarrentur. Ac gravissimam, quae illa crimina diluat, causam e Claudiani descriptionibus petendam esse demonstravi[5]). Cum vagis his criminibus, quae ad Ruf. et Eutr. spectantia etiam in Stiliconem leviter conferuntur, certas et accuratas, quas Olympiodo-

[1]) Exc. de sent. p. 281, 282; Suidas s. v. *Ῥουφῖνος*. Mueller frgm. LXII et LXIII. [2]) Zosim. V, 1. [3]) Zosim. V, 12.

[4]) Vide, quomodo Zosimus V, 1 a communi utriusque descriptione ad Rufinum solum transeat: . . . *ἐπεὶ δὲ ἄπληστος ἦν αὐτοῖς πλοῦτος συνειλεγμένος ἤδη καὶ τὴν βασιλείαν ἑαυτῷ μνᾶσθαι Ρουφῖνος ὠνειροπόλει κτλ.* [5]) Cf. pag. 12 sq.

rus ei tribuit laudes conferas[1]). Porro Zosimus Alaricum ideo in Graecia de Stiliconis manibus effugisse narrat, quod is deliciis et mimis hominum ridiculorum et impudicis mulieribus se dedisset[2]). Hanc quoque criminationem ex Eunapio petitam esse liquet. Neque vero hoc vitium ab alio quoquam neque a Zosimo alias Stiliconi attribuitur. Dein eius vita resque gestae, quoad nobis patent, huic crimini minime aptae sunt. Unde vero ortum sit luxuriae crimen, perspicere mihi videor. Eunapium enim et Zosimum antiquo deorum cultui antiquas Romanorum virtutes ac praesertim eam, quae proprie virtus vocatur, artissime coniunxisse, antea iam docui[3]). Inde cultu illo evanescente ubique luxuriam ignaviam mollitiem reperiunt, quasi odorantur, quae sane vulgaria illius aetatis vitia erant. Quare saepissime hanc luxuriem in Theodosio vituperat Zosimus[4]), eumque a luxurie et socordia imperium exorsum esse dicit; quo loco apertissime elucet, hoc vitium ex Eunapii Zosimique opinione hominum antiquos deos negligentium moribus necessitate quadam penitus inhaesisse. Nam ut Theodosius postea interdum luxuriae indulserit, exorsus imperium suum rebus tantopere profligatis ac tnrbatis si huic vitio indulsisset, miro profecto modo res tam bene reparatae essent. Etiam aliis locis illud crimen ita arcessitur, ut intelligas cum voluptate et studio quaeri id et proferri. Quam sententiam Eunapii quoque haec verba comprobant ad Rufinum et Stiliconem spectantia: *διὰ δὲ γὰρ μαλακίαν καὶ ἀσθένειαν ψυχῆς τὸ διέρπον καὶ ὕπουλον τῶν μηχανημάτων αὐτοῖς ὡς ἀνδρεῖον*[5]).

---

1) Cf. pag. 20. 2) Zosim. V, 7.

3) Cf. pag. 17—19; Adde Exc. de legg. p. 21, Mueller frgm. Eunap. LX; 4) Zosim. IV, 28, 33, 44, 50; V, 27;

5) Exc. de sent. 281, 282, Mueller frgm. LXII.

Sola quae certo scelere niti videtur criminatio in *Mascezelis nece* posita est a Zosimo diserte narrata[1]). At primum denuo mirandum est, hoc scelus tam immane tamque perfidum nec ab aliis auctoribus, Orosio, Philostorgio narrari nec a Stiliconis inimicis sat multis et acribus pervulgatum esse, praesertim cum Mascezel pius homo monachorumque amicus esset, qui pietate sua splendidam illam de fratre Gildone victoriam reportasse ab Orosio dicitur[2]). Iam etsi postea monachorum societate relicta ecclesiae violaverat asylum, ita ut Orosius mortem eius praematuram poenam a deo missam putaret[3]), tamen eo ipso, quod hic vir et eius interitus tam conspicui et noti erant, Stilico criminationem effugere nequisset, si lenissima tantum iustae suspicionis species apparuisset. Inter multa autem mendacia ac falsos rumores, quos Eutropius ipse illis temporibus in Orientem allatos esse dicit[4]), etiam necem Mascezelis fuisse, cum bello Africano splendide gesto aemulus Stiliconi molestissimus esse videretur et infelici casu subito abreptus esset, quid mirum? Cuius modi fabularum exempla praebet Philostorgius, qui Stiliconem in palatio ab Olympio magistro officiorum gladio qui imperatori praeferebatur percussum esse narrat[5]), quamquam ipse alio loco[6]) refert, exercitum accepta ab imperatore tessera eum interfecisse; porro Stiliconem venenum quoddam Honorio miscuisse, ne liberos procreare posset, nummos percussisse nugatur[7]). Neque minus Eunapium eiusmodi historiarum studiosissimum fuisse, eius fragmenta[8]) et Zosimi historia docent; turpes mores scelera insidias iusto fusius enarrant. Ita Zosimus quamvis in ceteris brevis et adstrictus perfida-

---

1) Zosim. V, 11; 2) Oros. VII, 36. 3) Ibidem.
4) Cf. pag. 15 sq. 5) Philostorg. hist. eccles. XII, 1;
6) Idem XI, 3; 7) Idem XII, 2;
8) Exc. de sent. 282, 283, Mueller frgm. LXXI.

rum necium uberrimus auctor est; narrat Decii eiusque exercitus interitum Galli dolo paratum[1]), Decii filii necem[2]), quae scelera nullus alius scriptor refert. Etiam Rufini[3]) et Eutropii[4]) scelera multo uberius narrantur pro totius historiae eius volumine. Denique si huius fabulae naturam respicimus, praecipue acutam et quae crimen tenui quodam velamine induit nec nude et diserte profert Zosimi descriptionem[5]), aperte cognoscimus, Mascezelis infelici casu absumpti mortem Stiliconi crimini datum esse, qui potentiae et gloriae aemulum illum odisset.

De aliis Stiliconis criminibus, de patria prodita, de barbaris immissis postea dicam, cum de tota rerum administrandarum ratione ac de confirmandi imperii studiis disserendum mihi erit.

Ita illorum fontium debilitate et levitate perspecta, ea quae certa et satis comprobata nobis apparent, velut disiecta eius historiae membra in unum colligamus corpus, quo et explicentur singula et quem praecipuum finem omnia spectent, nobis patefiat. Atque uberrimus fons nimis neglectus, qui et natura sua minime corruptus est et intimas rerum rationes saepissime aperit, leges sunt intra annos CCCXCV et CCCCVIII datae, quae Theodosiano codice continentur. Quare hae accuratius nobis examinandae sunt. In quo cautissime mihi versandum esse haud ignoro, ne ex unius legis levi sae-

---

1) Zosim. I, 24; 2) Idem I, 25. Cf. etiam I, 65, II, 27; 3) Idem IV, 50—52; V, 2; 4) Idem V, 8—12.

5) Idem V, 11: . . . *Στελίχων δὲ, νεμεσήσας ἐπὶ τῷ κατορθώματι, θεραπεύειν ὅμως προσεποιεῖτο, χρηστὰς ὑποφαίνων ἐλπίδας. ἐπεὶ δὲ προϊὼν ἐπί τι προάστειον, ἐπὶ ποταμοῦ γεφύρας ἐγένετο, μετὰ δὲ τῶν ἄλλων εἵπετο καὶ ὁ Μασκέλδηλος αὐτῷ, σύνθημα πρὸς τούτου δεδομένον αὐτοῖς οἱ δορυφόροι πληροῦντες, ὠθοῦσι κατὰ τοῦ ποταμοῦ. καὶ ὁ μὲν Στελίχων ἐγέλα, τὸ δὲ ῥεῦμα συναρπάσαν, ἀποπνίγει τὸν ἄνθρωπον.*

pissime summa, quae singulari aliqua occasione forte seu rerum necessitate extorta est, nimis certam ac constantem auctoris de hac re sententiam liberaque et diligentia studia eliciamus, dein ne praetenta quadam benevolentiae specie, qua saepe legum exordia fucata sunt, pelliciamur[1]). Quare de consiliis et rationibus, quibus Stilico rei publicae omnes partes administrabat, certum iudicium non statuemus, nisi et legum veris causis temporumque rationibus perspectis et certis per annorum et legum sat magnam seriem studiis et consiliis deprehensis. — Ut vero aequum feramus iudicium, reputandum est, Stiliconis vires per totam ipsius vitam externis rebus ordinandis, hostibus repellendis et arcendis ita consumptas esse, ut quae forte habebat de domesticis rebus reformandis consilia exsequi non posset. Nolo profecto certa eius confingere consilia, sed monere tantum, ne quis omnia, quae Stilicone res administrante conservata sunt instituta, ei placuisse putet.

Ac primum, quid de rebus ad sacra ecclesiasque pertinentibus senserit Stilico, inquiramus. Privilegia Ecclesiae catholicae a prioribus imperatoribus concessa statim initio imperii Honorius inviolata et incorrupta manere iubet[2]) itemque lege a. CCCXCVII emissa[3]), qua diserte se „non novum aliquid sed illa quae olim videntur indulta firmare“ dicit, a. CCCIC[4]) poenam ei constituens, qui ea mutilare conetur. Quarum legum formam qui respicit additis et lege „de irruptione seu impetu in ecclesias“[5]) aliisque, quas in haereticorum tumultus emisit Honorius, et Augustini de Donatistarum violentiis querelis[6]), dein qui reputat in Italia Eugenium

---

[1]) Cf. Puchta: Cursus der Institutionen I, p. 614.
[2]) Cod. Theodos. l. XVI, tit. II, const. 29;
[3]) Ibid. XVI, II, 30. [4]) Ibid. XVI, II, 34;
[5]) Ibid. XVI, II, 31. [6]) Augustini epist. 88, 185, 204 ed Bened.

Argobasto pagano auctore, qui iam in ecclesiam Mediolanensem infestum praestiterat animum [1]), imperatorem fuisse profanis rebus valde faventem [2]), ita ut denuo florere coepissent [3]), Africam vero per XII annos Gildonis fuisse [4]), quem Marcellinus [5]) paganum fuisse contendit, Augustinus [6]) prorsus damnat, haec omnia qui considerat, profecto ecclesiae privilegia iteratis legibus fortiter defendenda fuisse intelligat. — A. CCCCI Constantii lege iterata [7]) Honorius Clericis intra modum victus negotiantibus immunitatem a lustrali collatione concedit [8]), quo magnae eum, quae tum in Africa fuit, Clericorum penuriae consulere voluisse, Godofredus iure coniicere mihi videtur [9]). Novum Honorius ecclesiis dedit privilegium [10]) a. CCCCVII postulante concilio Carthaginiensi [11]), ut defensores ecclesiarum ex advocatorum corpore constitui liceret — quod sane aequissimum fuit. Ac cum suas cuique ordini res ordinandas, custodiendas permittere Stiliconem videamus, quo et sanae ordinum libertati et rerum ipsarum integro statui optime consulat, etiam ecclesiis i. e. sacerdotalibus episcoporum seu synodalibus dioeceseon iudiciis ecclesiasticam disciplinam totam concedit, ita ut ne rescripto quidem principis detrusus Episcopatu quis restitui possit [12]). Quod vero patres Africani in concilio Carthag. V ab Honorio petierant [13]), ut quamlibet causam, si partes in eo consentirent, ab episcopis totam diiudicari liceret, ita recusavit imperator, ut

---

1) Paulini vita Ambrosii pag. 86.

2) Paulini vita Ambros. p. 85, Ambros. epist. 15.

3) Rufini hist. eccl. II, 33; Sozomeni hist. eccl. VII, 22; Augustin de civ. dei V, 26. 4) Claudian. de bello Gildon. 154;

5) Cf. de Gildonis ingenio Tillemont. T. V, P. III, p. 1090.

6) August. epist. 64; 7) Cod. Theod. XVI, II, 8 et 15;

8) Ibid. c. 36; 9) Cf. Godofr. comment. ad h. c.;

10) Ibid. c. 38; 11) Cod. Afric. can. 97;

12) C. Theod. XVI, II, 35; 13) Cod. Afric. can. 59.

eas solas, quae ad sacra spectarent, causas, decidere Episcopis liceret[1]). Ita et conservasse fortiter vetera et iusta ecclesiae privilegia Stiliconem apparet neque quicquam clericis concessisse, quod aequos eorum auctoritatis terminos excederet ipsiusque de rebus publicis administrandis rationibus repugnaret.

Quem vero haereticis et paganis Stilico praebuit animum? Stilicone vivo leges IX ab Honorio de haereticis datae sunt[2]) valde diversae ab iis, quas Arcadius in Oriente statim post patris Theodosii discessum pio furore quasi fundere coepit[3]); neque tamen Theodosius harum rerum in Oriente negligens fuerat[4]). In Occidente vero etsi Eugenii praecesserat imperium neque post annos CCCLXXXIX et CCCXCI, quibus Theodosius Maximo tyranno devicto Romae cum Valentiniano Iun. leges in Manichaeos emiserat[5]), quicquam in eos constitutum erat, prima tamen lex anno demum CCCIC ab Honorio data est. Haec et quae secutae sunt leges ad Africam provinciam spectant recens recuperatam. Primae praecipue legis *acerba et concitata forma* iam docere potest, non sine certa causa lenitatem adhuc servatam in hac imperii parte non valuisse. Ac fuit profecto illa severitas prorsus necessaria ad publicam disciplinam ac pacem a Manichaeorum rebellantium furore defendendam, in quos etiam Valentinianus Senior, qui omnes et haereticos et paganos tolerari voluit[6]), severe ingressus erat[7]). Manichaeos et Donatistas gravissimos tum in Africa excivisse tumultus cum Augustini literae

---

1) C. Theod. XVI, XI, 1: Clericos Stilicone mortuo, quae petierant, impetrasse Cod. Justin. const. 8: „De episcopali audientia" docet. 2) C. Theod. XVI, V, 3—6, 35, 37—41;
3) Ibid. 24—34 et 36; 4) Ibid. 6—23.
5) C. Th. XVI, V, 18 et 20;
6) Ibid. IX, XVI, 9 (de maleficis). 7) Ibid. XVI, V, 3.

supra memoratae[1]), tum ipsa verba legis[2]) a. CCCCV emissae: „qui praecipue, ut comperimus furere non desistunt“ satis comprobant. Postrema lex[3]) patribus Africanis respondet, qui postquam a. CCCCIII Donatistas ad placidam de fidei consensu deliberationem frustra invitaverunt[4]), ab Honorio petierant, ut et concordiae consuleret et Donatistarum furore ipsos defenderet: „cum episcopos multosque clericos insidiis oppressissent, ecclesias etiam aliquas invasissent“[5]). — Humanissima vero exstat lex anni CCCCVII, qua poenitentibus seu conversis haereticis per Africam Donatistis ac Manichaeis plena datur venia, „quamvis sera sit conversio“[6]). Cognoscimus igitur leges illas non stupido ac pio furore, sed publicae securitatis cura emissas esse.

Multo dilucidius quam placidum et moderatum in rebus ad sacra spectantibus se praestiterit Stilico, leges de paganis editae docent, quippe quae nimis piis patrum Africanorum studiis diserte occurant. Prima lege[7]) sacrificiis quidem vetitis ornamenta operum publicorum fortiter tuetur a pio impetu episcoporum Galliarum et Hispaniae[8]). Altera lege[9]) „festos conventus ludosque et convivia per vota publica agitari“ permittit, cum patres Africani gentilicias illas relliquias exstinguendas esse censuissent[10]). Tertia lege[11]), qua et aedibus parci et idola deponi iubet ea, quae iam vanis caerimoniis colantur, idem patribus Africanis, ut templa diruantur, petentibus[12]) deest. Cuiusmodi de rebus sacris opiniones

---

1) Cf. pag. 27. — 2) C. Th. XVI, V, 38;
3) C. Th. XVI, V, 40; 4) Cod. Afric. can. 91 et 92;
5) Ibid. can. 93. cf. Godofred. comm. ad h. l.
6) C. Th. XVI, V, 41. — 7) C. Th. XVI, X, 15. —
8) Cf. Severi vita S. Martini cap. 10. 9) C. Th. XVI, X, 17;
10) Cod. Afric. can 60 et 61. cf. Godofredum ad C. Th. XVI, X, 17.
11) C. Th. XVI, X, 18; 12) Cod. Afr. can. 58.

iam multo magis eminent eo, quod post necatum Stiliconem Olympius prorsus diversam secutus est rationem, ita ut iam anno CCCCVIII omnes qui essent catholicae sectae inimici i. e. haeretici et pagani intra palatium militare prohiberentur [1]), quod Arcadius iam a. CCCXCV constituerat [2]). Apparet igitur Stilico non tam sacrorum formulas, quam ingenium sollertiamque in eligendis reipublicae ministris respexisse. Zosimus illam Olympii legem mox abrogatam esse narrat [3]) Generido auctore, qui ut paganus Olympii sociis postpositus post eius fugam omnium, quae Dalmatiam Pannoniam Noricum Rhaetiam custodiebant copiarum dux factus est. — Eundem pium furorem alia lex [4]) eiusdem anni prae se fert, qua ut omnes leges in haereticos et gentiles datae non solum maneant, sed etiam „in executionem plenissimam effectumque“ deducantur edicitur neque minus acerbae, quae insectandi liberas de divinis rebus opiniones studium produnt, legum confirmationes [5]), quibus Defensores Curiales omniaque officia custodire iubentur, ne qui ab ecclesiae Catholicae sacerdote dissideant ullo loco possint convenire; „proscripti autem ut in exilium detrudantur qui disputare audeant et adserere ea, quae institutio divina condemnet“, iudicibus Officialibus, Curialibus gravissimae poenae imponantur, si commissum tale aliquid siluerint. Liquet igitur his legibus opinionum dissensum ipsum stupido furore puniri, cum Stilico saevos solos, quibus dissentientes pacem publicam turbabant, tumultus compescere studuisset.

Eodem modo de paganis rebus post Stiliconis necem severius iudicasse Honorium, lex docet XVII Cal. Decemb. a. CCCCVIII emissa [6]), qua simulacra, quae alicubi ritum

---

[1]) C. Th. XVI, V, 42; [2]) Ibid. 25 et 29. [3]) Zosim. V, 46; [4]) C. Th. XVI, V, 43. [5]) C. Th. XVI, V, 45 et 46. — [6]) C. Th. XVI, X, 19.

vel acceperint vel accipiant paganorum, suis sedibus evellantur[1]), arae destruantur, templa publica alio usui publico vindicentur, quae vero in privatorum fundis exstent, a dominis destruantur, festa convivia solemnitatesque prohibeantur. Ita perspecta Stiliconis mihi ac sapienti in rebus sacris diiudicandis animo forte quis miretur, quod post Stiliconis mortem et haeretici et pagani in Africa extiterint[2]) clamantes omnes leges ab Honorio in ipsos datas non ex imperatoris libera voluntate sed eo nesciente vel nolente a Stilicone solo esse profectas; cum ceteris eius actis etiam illas leges rescindendas esse. Videri igitur possit Stilico acerba in eos processisse severitate: at legentibus nobis, rebellantes illos in Catholicos saevisse tumultusque excivisse, facile liquet, eos in Stilicone non sacrorum suorum inimicum sed violentiarum suarum fortem domitorem et vindicem vidisse, quo mortuo metu liberi rursus turbare rempuplicam audebant prima quaque causa praetenta. Stilicone enim amoto non quidem leniores et iustiores Honorium eiusque rectores, sed ignaviores et viliores in ipsos se praestituros esse sperabant.

Iam vero in aliis rebus publicis administrandis quas Stilico secutus sit rationes inquirendae sunt. In quo semper memores esse nos decet, ex ingenii ipsius liberis sententiis res constituere ei non licuisse, cum rebus certo statu ac conditione inveteratis adstrictus esset. Ac fuit hic status eiusmodi, ut reformandi, emendandi summa ac cautissima lenitas postularetur, ne artificiosus rerum ordo prorsus turbaretur. Quamquam enim imperii forma ea fuit, ut tota potentia in solo im-

[1]) C. 18 anni CCCIC iusserat Honor. „deponi sub officio idola, disceptatione habita, quibus etiam tunc pateret cultum vanae superstitionis impendi.“

[2]) Augustin epist. 97 ed. Ben.

peratore collocata esset, unde omnia profluebant, tamen cum verus vigor abesset neque partes ut unius sani et vividi corporis membra interna quadam vi coaluissent, tota moles dilabi et friari poterat. Accedebat, quod barbari hostes continuo fere impetu in marcidum imperii corpus irruentes praesertim Stiliconis temporibus vix tempus et spatium reformandi concedebant. Quibus vero remediis et artificiosis et violentis opus fuerit, ut necessaria munera et officia sustentarentur atque iis, quibus ea solvenda erant, onera haud decutienda et hereditaria quasi suffigerentur, leges de Curiis civitatum datae[1]) optime docent, quarum sodales reipublicae quasi baiulos dicere possis[2]). Qui cum gravissimis sui muneris oneribus quoquo modo se subtrahere, quin etiam in deserta fugere studerent, res publica vero iis carere non posset, quippe ex quibus omnes provinciarum reditus extorquerentur, imperatores „Curiarum desertionem“ quacunque ratione impedirent necesse erat. Haec rerum conditio cum sine gravissima rerum publicarum reformatione mutari non posset, etiam Stiliconem necessario malo studiose consulere quidem, sed pro totius eius administrationis natura certas et quas poterat aequissimas leges constituere videmus. Primum „dignissimos tantum et meritis et facultatibus qui functiones publicas implere possint“, eligi ad Curiae munera iubet[3]), tum nominandi et eligendi in Curiam certam formam praescribit[4]) et gravissimas in Curialium patronos et occultatores potentes emittit leges de retrahendis Curialibus elapsis[5]). Quas leges aequissimas puto, quod cum totus rerum ordo

[1]) C. Theod. XII, I De Decurionibus.

[2]) Cf. Godofredi paratitlon ad C. Th. XII, I.

[3]) C. Th. XII, I, 140 et 148; [4]) Ibidem c. 142.

[5]) Ibidem cc. 143, 144, 146, 147, 149, 153—156, 161, 162; III, I, 8.

mutari non posset, praesentis status integritas summa severitate tutanda erat, ne aliis officia effugientibus alii eo graviori onere obruerentur. In hoc vero iniquissimo rerum statu Stiliconem qua potuit summa aequitate egisse, hae leges aperte docent. Lege enim a. CCCXCV edita[1]) nominationem ad Curias non valere nisi in concilio publico Curiae factam, libellis igitur et edictis Rectorum provinciarum factam irritam esse vult, quo et rectorum iniusto ac corrupto arbitrio occurrat et Curialium conditioni consulat, qui collegas dignos et opulentos eligere possint. A. CCCXCVII cogi quemquam vetat[2]), ut idem officium seu transactum onus repetat aliis Curialibus iam exstantibus. A. CCCIC decurionum securitati adversus iudicum sive rectorum molestias et exactorum „terrorem" consulit[3]).

Quod aequitatis studium, quo et reipublicae et civium utilitati Stilico consulebat, optime elucet ex aperto eius privilegiorum et immunitatum odio, quae rescriptis et testimonialibus singuli captabant. Fuit hoc praecipuum illorum temporum vitium, quibus turpissimo suae quisque utilitatis studio imbutus erat. In quo reprimendo, ut in multis aliis rebus, Stilico cum Valentiniano Sen. consensisse videtur[4]). Neque tamen Stilico omnes omnino abrogavit immunitates nulla ratione habita, sed aequas tantum ac meritas valere voluit. Quare edixit[5]), ne ulla immunitas valeret absque Palatini officii notione, quo fraudes reprimerentur; rescriptum, quo quis non a solitis exactoribus et compulsoribus exigatur, infirmatur[6]); poena ei decernitur, qui rescriptum impe-

[1]) C. Th. XI, XXX, 53. [2]) C. Th. XII, V, 3.
[3]) C. Th. IX, XXXV, 6.
[4]) C. Th. XI, XII, 3: „Omnium rerum ac personarum, quae privatam degunt vitam, in publicis functionibus aequa debet esse inspectio." — [5]) C. Th. XI, XII, 4. [6]) C. Th. XI, VII, 15.

trare conetur ad „canonem urbicarium“ mutandum, qua lege disertissime rationes suas prodit: „Nam cum in privatis causis quae contra leges fuerint elicita cassentur, rectius in publicis negotiis quae adversum vetera decreta extorta fuerint submovemus [1].“

Praecipua laude dignus est Stilico, quod in rebus vectigalibus sanam instituere studebat aequabilitatem. Ita lege a. CCCXCIX edita, ut tenuiores et miseros provinciales adversus potentiorum iniurias sublevaret aequabilitati „tributariae functionis“ consuluit [2]. Strenuus in exigendis tributis fuit [3], publicorum redituum administrationem certis rationibus in tuto collocavit [4], ordinavit [5], simpliciorem et dilucidiorem reddebat, ita ut et reipublicae et provincialium commodis consuleret [6], certas ubique mensuras constituit, ne arbitrio locus esset [7].

Ut privatorum hominum iniustis privilegiis, ita omnibus infestum se praestitit honoribus, qui non meritis impetrati essent. Ac praecipue in re militari iustum ex meritis ordinem servari voluit [8]; diserte ubique discernit inter eos qui meritis et eos qui favore ac beneficio honores adepti sunt [9]. Delatoribus et calumniatoribus, qui corruptis illis temporibus florebant, strenue occurrebat [10]. In iure vero administrando et aequitatem

[1]) C. Th. XI, I, 30.

[2]) C. Th. XI, I, 26. Cf. leges „circa censum et peraequationem“ datas XIII, XI, 5, 6, 7, 9, 10.

[3]) C. Th. XI, I, 25 et 27. [4]) C. Th. XI, I, 30; XII, 6, 24.

[5]) C. Th. XIII, I, 17.

[6]) C. Th. XI, VII, 16; VII, IV, 26; VIII, VIII, 6, 7; XII, VI, 27; XI, XXVI, 2 (qua provinciales a fraudibus discussorum, susceptorum, tabulariorum defenduntur, quod etiam Valentiniano Sen. curae fuisse docet eiusdem tituli c. 1).

[7]) C. Th. VII, IV, 22.; VIII, V, 60. [8]) C. Th. VII, I, 18.

[9]) C. Th. VII, XIII, 15 et 18; VII, XX, 13; VII, XIV, 3; VI, XIV, 2.

[10]) C. Th. IX, XXXIX, 3; X, X, 23, 24.

et veritatis cautum studium et celeritatem spectasse apertus est[1]). Appellandi et provocandi ius et confirmatum et certis rationibus adstrictum et iustis finibus ab eo coercitum est[2]).

Unum iam reipublicae institutum commemorabo, quod ad vasti imperii membra artius coniungenda et quasi capiti adpropinquanda gravissimum erat: dico „cursum publicum"[3]). Quem tum miserrime collapsum et pravo usu corruptum Stiliconis opera reparatum restitutumque esse sat multa edicta docent[4]).

Non licet hoc loco vel leviora Stiliconis studia, quae perspectae codicis nostri leges demonstrant, diserte describi; quae vero protuli ad certiorem eius administrationis imaginem depingendam aliquid valere arbitror. — Iam restat ut rerum, quas Stilico et gessit et gerendas sibi proposuit, quae intimae fuerint rationes, inquiramus. Quas ut perspiciamus, res et consilia Theodosii M. spectanda sunt, quo quasi magistro et praeceptore Stilico usus est.

Cum a Valente imperatore Gothorum ingentia agmina in Thraciam essent recepta, una tantum agendi cum illis restabat ratio prorsus diversa ab antiquo illo, quem maiores barbaris praestiterant, animo. Adiuncta enim Romano imperio soloque robora, quae nec opprimere nec suis viribus coercere Romani poterant, immo quibus suos exercitus confirmabant, forti quadam liberalitate et intrepida mansuetudine marcido imperii corpori innecterentur oportebat. At Valentis administri scelesta agebant imprudentia; receptos enim barbaros, quibus Danubium

---

1) C. Th. II, XIV, 1; II, I, 8; IV, XXII, 4 et 5; XII, I, 151; XIII, IX, 5.

2) C. Th. XI, XXX, 58, 61; XI, XXXVII, 32 et 33.

3) Cf. Godofredi paratitlon in C. Th. VIII, V.

4) C. Th. VIII, V, 53, 55, 58, 61, 63, 65.

traiicientibus Romanorum ducum socordia foedaque mulierum puerorumque Gothorum cupiditas ipsa arma ut retinerent permiserant[1]), avaritia illi ita opprimebant et vexabant[2]), ut rebellantes atroci illa apud Adrianopolim clade Romanos afficerent, quam Ammianus Marcellinus Cannensi cladi comparat, duabus Romani exercitus partibus deletis[3]). Huius autem belli culpam totam Romanorum fuisse, Ammianus diserte narrat[4]), cuius auctoritas Eunapii et Zosimi silentio minime infringitur. Ita rebus in Oriente prorsus profligatis Theodosius a Gratiano in Orientem missus est, qui quantum et fortis animus et prudens, quae temporum et rerum rationem habet, moderatio efficere posset, aperte docuit. Non enim pristinae Romani imperii superbiae et gloriae imaginibus pellectus barbaros opprimere, solo Romano depellere conatus est, sed et constanti gravitate suorumque viribus corroboratis auctoritatem suam tueri et augere et prudenti humanitate et liberalitate barbarorum animos conciliare sibi studebat. Quae bene ei cessisse studia totum eius imperii spatium docet. Athanaricum regem, qui post Fridigernum acerrimum Gothorum ducem mortuum plurimas Gothorum gentes coniunxerat, cum tantis honoribus Theodosius Constantinopoli excepisset, mortuumque tam eximia magnificentia sepeliri iussisset, multos sibi conciliavit Gothos, ita ut imperatoris exercitui adiungerentur quadraginta millia militum nomine foederatorum, in quibus totius imperii militiae robur collocatum esset[5]). Vituperatur quidem Theodosius a

[1]) Eunap. Exc. de legg. p. 19—21. Mueller frgm. XLII; Zosim. IV, 20.

[2]) Ammian. Marcellin. XXXI, 4; Hieron. Chron. p. 188; Jordanis De reb. Get. c. 26.

[3]) Amm. Marcell. XXXI, 12—13. [4]) Ammian. XXXI, 5—12.

[5]) Amm. Marcell. XXVII, 5; Zosim. IV, 34; Jordan. c. 28; Themist. oratt. XV et XVI.

Synesio philosopho[1]), qui splendidissima de imperio reformando consilia dat Arcadio, sed ut philosophus in pulcherrimis versatus cogitationibus res aeque facile ac sententias condi posse arbitratur; vult Synesius senescenti imperio iuventutem reddi et iuvenili eius robore foedos barbaros depelli: quae somnia potius quam consilia habenda sunt. Floruisse imperatore Theodosio imperium, quoad tum florere poterat, omnes scriptores docent; sed hunc florem solis unius Theodosii virtutibus potius, quam rationum quas secutus sit salubri necessitate procreatum esse forte putes. At res tum ita comparatae erant, ut, cum in imperii mole verus vigor non esset, solius imperantis virtutibus sustentari possent nec saluberrimae rationes sine strenuo aut prudentissimo imperatore quidquam valere possent. Theodosium Gothorum validam mox ad sui studium perduxisse partem, quae arta cum Romanis et imperatore coniunctione etiam suae gentis saluti optime consulere sibi videretur, Fravittae fortissimi ducis et Eriulphi iurgio liquet[2]). Sane etiam alteram eamque initio graviorem fuisse partem, quae eadem, quam in Romanorum maioribus cognoscimus, superbia odioque haud iniusto placidam omnem cum Romanis coniunctionem aspernaretur, non mirum est. Sed cum Theodosius, etsi ante eum imperatorem Romani tanta perfidia et ignavia in Gothos usi non solum in odium, sed etiam in contemtum adducti erant[3]),

---

[1]) Synesius: *Περὶ βασιλείας*. Multa quidem sobrie admonet, quae fortasse Arcadio licebat exsequi. Sed valde miror, quod Gibbonius V, cap. XXX, 186 pulchra quidem, sed inania Synesii consilia non inania putare videtur.

[2]) Eunap. Exc. de legg. p. 21. (Mueller frgm. LX); Zosim. IV, 56.

[3]) Cf. Amm. Marcell. XXXI, 16; Zosim. IV, 26 de perfida Gothorum caede. Falso Zosimus hoc scelus ei tempori tribuit, quo Theodosius iam imperator erat.

tam felici tamen successu barbarorum vires imperio Romano adiungeret, quanto melius ac firmius res corroboratae et consociatae essent, si statim ab initio fortis et sobrius imperator eas gubernasset? Nolo profecto contendere, Theodosii consilis ac remediis Romani imperii interitum amoveri potuisse: immo rerum necessitate illum adductum esse at si quaerimus, quod tum extiterit remedium, quo patet imperii corpus in aliquod tempus conservari et quasi refrigerari potuerit, unum in Theodosii ratione prudenter ac fortiter servata positum erat. Ipsas vero imperii vires cur non sana et gravi disciplina ac reformatione emendare reficere conatus est? Cum summa undique urgerent pericula et hostium impetus, Romana vero militia maxime debilitata et corrupta esset [1]), iuvenes in Italia et provinciis ita militiam abhorrerent, ut dextrae manus digitos amputarent [2]), iamque per multos ante Theodosium annos barbari fortissimi et maxime strenui in exercitibus Romanis fuissent milites summosque tenerent honores [3]): quae tum alia Theodosio restabat ratio? Quantum vero in victoriis de Maximo et Eugenio tyrannis reportatis Theodosius barbaris auxiliis debuerit, auctores permulti narrant [4]). — Quae cum ita sint, Stiliconem Theodosii rationibus imbutum eandem de rerum necessitatibus amplexum esse sententiam liquet, praesertim cum ipse barbarus esset nec profecto Romana superbia odioque barbaras gentes ut bene constituendis et excolendis rebus prorsus alienas contemnere posset. Dubitari quidem licet, num ab initio

---

[1]) Cod. Theod. VII, XIII, 8 et 16.

[2]) Cod. Theod. VII, XIII, 4, 5, 10.

[3]) Unde plurima inter ducum et comitum nomina barbara invenimus. Cf. Amm. Marcell. XX, 10.

[4]) Cf. de his rebus Tillemont T. V P. II, qui omnes testes diligentissime arcessere solet.

Stilico certas, quibus postea res publicas administravit leges sibi proposuerit; id vero efficere posse mihi videor, eum nec leviter, nec ignave, nec perfide unquam cum hostibus egisse. Pugnavit primum post mortuum Theodosium cum Alarico in Graecia a. CCCXCVI. Sane Alaricus evasit. Sed quid inde licet concludi? Nihil aliud profecto, quam hostem ingenii sui copia summo discrimine se expedisse. Ac veri simillimum est, tum demum damno edoctum Stiliconem intellexisse, qualis vir esset Alaricus. Putat Aschbachius[1]) Claudiani versus aliquot[2]) secutus, Alaricum iam adolescentem ab ea Gothorum parte stetisse, quae omne cum Romanis foedus aspernaretur. Qui versus etsi futile huius sententiae fundamentum nobis putandi sunt, sententia ipsa cum per se maxime probabilis est, tum primis quas gessit Alaricus rebus plane confirmatur. Vehementi enim impetu statim post Theodosii mortem negatis stipendiis annuis et ducis honore Graeciam vastavit[3]). Neque Orientalis imperii administratio eiusque principes viri ne mitissimum quidem hostem a despiciendo et invadendo imperio deterrere poterant, immo allicerent oportebat. Iam ubi Orientalis Illyrici dux constitutus est, quod quasi praemium saevae illius expeditionis fuit[4]), cum iuvenili superbia Romano imperio contemto, tum ipsius Constantinopolitanae aulae stimulis incitatus a. CCCC Italiam invasit. Quod bellum Stiliconis rationem consiliaque aperte prodit. Superbo ac tumenti hosti quicquam concedere noluit, sed Romani imperii maiestatem summa contentione tuitus, quamvis copiis prorsus destitutus et trepidantis aulae animos confirmavit et ipse trans Alpes hieme pro-

---

[1]) Gesch. d. Westgothen p. 66.

[2]) Claudian. de VI cons. Hon. 104 sqq.; De b. Getico 539 etc.

[3]) Zosim. V, 5—7.

[4]) Claudian. in Eutr. II, 212 sqq.; De b. Getico 535 sqq.

fectus omnia finium praesidia collegit et rebellantium gentium tumultu oppresso auxilia sumsit. Ita apud Pollentiam hostis impetum fregit eumque Italia depulit[1]). Uterque tum cognovisse videtur, qualem haberet adversarium. Intellexit Stilico suas copias tanta opera vix conquisitas suamque victoriam summa contentione ac prudentia vix reportatam certam futurae pacis ac salutis spem facere non posse. Accedit, quod praesidia finibus ut detraheret coactus erat, quod stulte crimini ei verterunt multi homines, nec illos rursum confirmari licebat in temporum periculis viriumque penuria. Quae cum ita essent, antiquam Romanorum superbiam hosti et viribus et ingenio acerrimo opponere omneque cum eo foedus respuere, obstinatae profecto erat stultitiae. Neque minus Alarici animus aetate progrediente Stiliconisque victoris ingenio perductus acerrimum illum et tumidum amiserat calorem; aestimare res Romanas Stilico eum docebat neque exstinguendi sed defendendi imperii honorem et laborem ei proponebat. Quam vero salubris esset Stiliconis cauta ratio, iam paucis annis post patuit, cum ingentes Radagaisi copiae Italiam invaderent[2]). Sola enim illa moderatio ac lenitas effecit, ut Alaricus cum Radagaiso non coniungeretur, quibus consociatis res Romanae prorsus essent deletae[3]). Debilitatem vero rerum Romanarum Stiliconis studia artesque probant, quibus et modicum collegerit exercitum et Alanorum et Gothorum auxiliis auctus hostes oppresserit. Nec potuit nec voluit aperta pugna eos aggredi, cum copiis suis ammissis

---

[1]) Cf. Gibbon V, chap. XXX; Aschbach: p. 73—75.

[2]) Zosim. V, 26; Oros. VII, 37.

[3]) Mire Gibbonius V, cap. XXX, pag. 234, qui saepe facetius, quam rectius iudicat Alaricum nec Radagaiso nec Stiliconi succurentem Caesari comparat Catilinam nec adiuvanti nec opprimenti. —

unde novas sumeret, plane non habuisset. Mire profecto non solum ingenium, sed etiam fortuna eum adiuvit. Num hanc semper ipsi affuturam esse sperare et exspectare, num in hoc lubrico fundamento totum imperium Romanum collocare ei licebat? Nudatis vero Rheni finibus hostium impetus in dies Romano imperio imminebant; brevi post Radagaisi cladem anno CCCCVI exeunte Vandali et Suevi Rhenum transgressi sunt Gallias vastaturi [1]). Quibus periculis cum debiles res Romanae undique cinctae essent, Alaricum artius rebus Romanis adstringere, barbaris viribus barbaras opponere studebat. Opus erat imperio Romano, ut provinciis iam ab hostibus inundatis imperii quasi nucleo i. e. Italiae firmum cingeretur vallum i. e. gens, quae bellicis rebus et defendendi custodiendique muneri prorsus dedita esset. Iam ante Radagaisi irruptionem de Orientali Illyrico Arcadio eripiendo Stilico cum Alarico egisse videtur. De quo Stiliconis consilio neminem recte iudicasse video; aut enim sola terrarum avaritia vel ambitio [2]) in eo cernitur aut vindictae cupiditas [3]): utrumque futile ac paene ridiculum esse arbitror. Putat quidem Gibbonius [4]), qui Stiliconem a bello civili prudentissime abhoruisse recte cognovit, Illyricam expeditionem a Stilicone eo paratam esse, ut Alaricum quam longissime ab Italia removeret. At patet, quam debilis haec ratio fuisset, quippe qua et

---

[1]) Zosim. VI, 3; Oros. VII, 40; Prosperi chron.

[2]) Gibbon V, chap. XXX, p. 234: „The execution of the ambitious design.“

[3]) Schulze: „Flavius Stilicho“ pp. 105 und 158.

[4]) Gibbon V, p. 235: „The prudence howewer of Stilicho, his aversion to civil war, and his perfect knowledge of the weakness of the state, may countenance the suspicion, that domestic peace, rather than foreign conquest, was the object of his policy; and, that his principal care was to employ the forces of Alaric at a distance from Italy.“

brevi tantum temporis spatio Stilico consuluisset et hostium superbia et belli praedaeque studia perniciosissime aucta essent.

Voluit Stilico mea sententia e rei natura petita Alaricum fidelem rerum Romanarum defensorem sibi conciliare. Alarici vero mens eo incerta et dubia ad id temporis fuerat, quod duorum fratrum discordia callide usus inter utrumque imperium fluctuabat[1]*. Iam oportebat Stilico, ut Alaricum ab aula Constantinopolitana eiusque machinationibus totum seiungeret ac sibi uni conciliaret, Orientalem Illyrici partem, quam Alaricus sub Arcadii principatu tenebat, avelleret Orientali imperio, ita ut nulla iam Alarici cum Oriente exstaret coniunctio, immo constans inimicitia subesset.* Qua sola ratione Alarici vires, quae ad id tempus Romanarum rerum quasi flagella fuerant a Romanis in Romanos agitata, saluberrima earum praesidia reddere poterat. — Alaricum igitur progredi in Orientem iubet Stilico[2], ipse mox insecuturus; cum vero Constantino in Gallia rebellante impediretur, Alaricus frustra in Epiro et Thessalia oppertus rediit et ad Italiae fines usque progressus per legatos et expeditionis frustra paratae impensas et provinciam aliquam poscebat, ubi cum copiis suis domicilium ponere posset simul auxiliis suis in Constantinum oblatis. Suspicio in eo exorta erat, ut falleretur dolisque ab Italia amoveretur, quae eo iam augebatur, quod Alaricus imperatoris edicto Serenae et ut mihi videtur inimicae Stiliconi partis opera extorto expeditionem suam inhibere iussus erat. Iuvenilis ille ardor revertebatur, cum nondum plane educatus esset Alaricus in Stiliconis consilia. Stilico vero prudenti sua constantia ac sobrio

---

[1]) Claudian.: De b. Getico 566 sqq.

[2]) Zosim. V, 26 et 29, Sozomen. Hist. eccl. VIII, 25; IX, 4.

iudicio nec ira nec superbia inopportuna turbando, quod pecunias Alarico solvendas esse censuit, optime egit[1]). Nec enim res Romanae novum sustinere poterant impetum nec consilia sua gravissima, in quibus exsequendis per tot annos tot labores viresque collocaverat, tam levi causa pervertere ei licebat nec, quae Alaricus poposcerat, tam iniusta aut insolentia erant, ut turpiter ea concederentur. Senatores vero infructuosa et stupida superbia occaecati assentiebantur quidem Stiliconi eius ingenium gravitatemque veriti, sed pacis auctorem ut proditorem infamabant. Iam tum accidit Arcadii mors. Stilico ipse Constantinopolim profecturus ut Theodosii iunioris tutorem ageret, cum leniori hac et aptiori ratione Illyricas res pro consiliis suis ordinare posset, Alaricum cum Romanis legionibus contra Constantinum in Gallias mittere decrevit[2]). Quibus consiliis nefarias et perfidas machinationes Stiliconis inimici facili interpretatione elicere poterant. Coniunxerant contra eum et eorum pars, qui pio quodam furore leni et moderato Stiliconis in haereticos et paganos animo stomachabantur, quo vehementia sua consilia et dominandi cupiditatem exsequi non possent, et ii, qui prudentibus ac necessariis Stiliconis rationibus prorsus non comprehensis proditionem et scelesta consilia suspicabantur. Ac praecipue Romani milites ad iram invidiam suspicionem paratiores, quia Stilico strenuos barbaros milites iustis et necessariis colebat honoribus, ficta Stiliconis Romanorum proditoris et inimici imagine facillime excitari poterant. Fingebant inimici, praesertim Olympius, Stiliconem ideo in Orientem profecturum esse, ut Theodosio iun. amoto imperium

[1]) Lampadii senatoris verba, quae Zosimus V, 29 profert: „Non est ista pax, sed pactio servitutis" grande quidem sonant, sed inepta sunt.

[2]) Zosim. V, 31—34.

filio suo daret Eucherio, Romanos vero milites acerrimo Romanorum hosti Alarico ab eo tradi, ut inter barbaros perirent neve Stiliconis nefaria consilia impedirent. Stilico Bononiae commoratus cum Paviae occisos esse amicos suos audiisset, de mutato imperatoris in se animo nondum certior factus, turbulentos ac rebellantes, quos putabat, in se Honoriumque Romanos milites cum barbaris suis coercere statuit. Probatas vero illas caedes ab imperatore compertus, ne ipse rebellis barbaros contra imperatorem duceret, consilium mutavit[1]). Ac profecto gravissimas hasce dubitationes ei exstitisse arbitror. Armis enim in imperatorem et Romanos milites versis si quacunque de causa occubuisset, totam suam vitam, labores, consilia foedo, qui ab omnibus existimabatur, exitu maculasset et evertisset. Quis perspicere, excusare, defendere eum poterat? Si vero prospere ei barbarisque res cessisset, totam, quam diligentissimis studiis paraverat, Romanorum et barbarorum coniunctionem tam atrocis belli pernicioso exemplo discidisset. Quae autem suam barbarorumque victoriam sequerentur, nec ante eam computare nec post eam certis finibus ipse coercere poterat. Num tumidos illos fluctus ab ipso agitatos quolibet temporis momento repellere ei licebat? Mira sane arte, quae praeclarissimum ducis ingenium prodit, per tot annos militiae Romanae varias et diversas partes consociaverat, rexerat: sed eo ipso barbaros tam praeclare coercebat, quod Romanorum militum copiae etsi haud validissimae et imperii Romani maiestas etsi nitens magis quam pollens Stilicone duce et custode, quem parvis opibus multum valere posse bellis cum Alarico et Radagaiso gestis barbari iam viderant, magna etiamtum fruebantur auctoritate. Quodsi Stilico contra Roma-

---

[1]) Zosim. V, 33.

nos milites imperiumque pugnaret, res Romanae Stilicone duce amisso, et Stilico nec imperii maiestate nec ullis copiis adiutus, quid iam utrimque in barbaros valebant? Num Stilico prostratas res Romanas a barbaris victoria tumidis defendere, num constanti, quali ingenui eorum duces, apud eos frui auctoritate poterat, praesertim si eorum libidinibus occurrebat? Quac dubitatio quam iusta esset, ipso statim illo discrimine patebat. Cum enim barbaris militibus fretus rerum turbatarum exitum tranquillo et modesto animo exspectare statuisset, barbari irati, quod Stilico ipsos contra Romanos imperatoremque ducere nolebat, Saro Gotho duce nocturno impetu trucidare eum conati sunt[1]). Vix cum paucis fidelibus barbaris Ravennam effugit, ubi milites Honorii vel potius Olympii literis incitati eum occiderunt. Non est, cur de generosa, qua in suae ipsius salutis summo discrimine Italiae urbibus consuluerit, ratione a Zosimo diserte narrata[2]) dubitemus. Ravennam enim cum fuga peteret, urbes, in quibus barbarorum uxores et pignora erant, hortatus est, ne rebellantes et tumidos barbaros reciperent. Interiit igitur vir princeps nullo iudicio facto, nullius sceleris convictus, probis et saluberrimis suis consiliis, quibus labentium rerum Romanarum in ipsis, qui eas exstincturi erant, barbaris validum quasi propugnaculum quaesierat. Has, quas antea descripsi, re vera fuisse Stiliconis rationes aperte mihi docere videntur, quae post eum trucidatum ab utraque parte gesta sunt. Quibus cum Alarici temperatus animus, qui Stiliconis quasi disciplina usus eius consilia tenebat, tum illius, quae Stiliconem oppresserat, partis stupida et misera pertinacia superbiaque comprobantur. Liquet enim una cum Stiliconis nece etiam prudens ac necessarium, quod cum

---

[1]) Zosim. V, 34. [2]) Ibidem.

Alarico inierat, foedus, quo potissimum illius inimicorum innitebantur criminationes, plane abruptum esse. Laesus igitur et offensus erat Alaricus neque mirum est, quod Stiliconis quasi ultorem se praestans eo ipso illius, quae dicebatur, culpam occaecato populo comprobare videbatur. Iam cum in Italiam procederet, nihil amplius quam quae Stilicone vivo poscebat, quibus concessis in Pannoniam copias se reducturum esse pollicitus est[1]). Cum vero imperator omne foedus repudiaret nec tamen fortiter resisteret, Alaricus nemine impediente in urbem progressus est. Sane multum iam poscebat pro offensi victoris more; ubi vero modestiora ea quae postulaverat legati ei concesserunt, se ubique pro Romanis dimicaturum esse pollicitus est. At cum Honorius eiusque rectores pro Italiae salute securi, quippe qui Ravennae muris custoditos se putarent, stupida pertinacia conventa respuerent, iterum contra Romam progeditur Alaricus XL millibus servorum susceptis, Valentis ducis debilem exercitum capit, Ataulphum fratrem arcessit. Iam cum denuo senatus legatos misisset Honorio postulata ab Alarico perlaturos, quae etsi insolenti Honorii superbia aucta tamen firmum tantum et utrique utilissimum cum imperatore foedus spectasse iam eo patet, quod Iovius Honorio suadebat, ut Alaricum ad postulata eius minuenda copiarum ducem crearet, Honorius iterum superbo respondet stupore. Nec tamen Alaricus victorem hostem se praebuit, sed primo aestu oppresso bis iam ad Honorium misit episcopos aequissimis conditionibus propositis, quibus et pecuniis annuariis et ducis Romani munere renunciatis Noricum solam provinciam postulabat. Patet igitur, quo studio Alaricus iustam et legitimam cum imperatore expetierit coniunc-

1) Zosim. V, 36; VI, 13.

tionem, cum solis armis profecto non solum Noricum sed totam Italiam tenere posset. At stupido iureiurando imperatoris socii adstringuntur, ne quid unquam cum hoste publico paciscantur. Ita omni foederis spe amissa Alaricus alium imperatorem eligi iubet Attalum, quem mira quadam religione ac fide coli ab eo videmus, quamvis et inopportunum eum esse mox cognoverit et a Iovio continuo in eum incitetur. Apparet igitur Alarico Romanum imperatorem opus fuisse, cum defendendo quidem, non vero regendo et gubernando imperio omnibus artibus exculto se suosque Gothos aptos esse putaret. Nimis iam migrandi bellandique gaudiis, quae iuvenilis aetatis sunt, indulgebant nec difficillimis et sobriis vasti et tam artificioso rerum ordine conditi imperii administrandi officiis fungi poterant. Ipse Alaricus utriusque militiae magister factus, Valentem, quem equitum ducem reddiderat, capitis damnari iussit, quod nefaria in Attalum cepisset consilia [1]). Anno vero CCCCX Attalum honore destituit idque gravissimis causis. Primum enim Attalus, cum per Constantem Heracliano, qui Honorii partem amplexus Africam tenebat, hanc provinciam eripere frustra conatus esset, quamvis turpissima fame urbem premente, Alarici consilia contemnens a strenuis Gothis Africam frumentaque recuperari pertinaciter noluit. Dein Alaricus tum amicum se praestare Honorio voluit, quem foedus cum ipso iuncturum esse rursus sperabat. Eo vero, quod imperatoris insignia Attalo publice ademit Honorio tradenda imperatoris honorem non elusit, sed quam gravem eum putaret ac necessarium docuit. Nec profecto assiduo, quod in conciliando Honorio posuit, studio imperatoris vires opesque sed solam dignitatem reverebatur. Cum vero ter-

---

[1]) Zosim. VI, 10.

tium summa, qua Sarus Gothorum copias oppressit, perfidia omne commercium abruptum esset, quid tandem captam et spoliatam esse urbem Romam mirari licet? Immo valde admiranda est Alarici auctoritas, qua barbaros suos tamdiu coercere potuerit Stiliconisque de Alarico in imperii salutem conservando consilia optime probat. Atque ex ipsa captae urbis miseria humanum cognoscitur Alarici ingenium, qui incolarum vita prorsus parci iusserat[1]). Quod vero paucis diebus post Alaricus urbem reliquit in Africam Gothos suos traiecturus. aperte docet, ipsum ducem gentem suam armis belloque deditam ad solidam reipublicae formam sobrie constituendam et conservandam nondum satis educatam existimasse. Eandemque Ataulphi, qui Alarico mortuo Gothorum dux exstitit, fuisse sententiam et omnes, quas gessit, res amicaque cum Romanis coniunctio et ipsius verba ab Orosio tradita[2]) docent, quae, quidquid de eorum fide sentis, hanc sententiam tum omnino valuisse probant.

---

[1]) Oros. VII, 39. Augustin. de civ. dei I, I; Jordanes c. 30.

[2]) Oros. VII, 43: „Nam ego quoque ipse virum quendam Narbonensem illustris sub Theodosio militiae . . . . audivi se familiarissimum Ataulpho apud Narbonam fuisse: ac de eo saepe sub testificatione didicisse, quod ille cum esset animo, viribus, ingenioque nimius referre solitus esset, se in primis ardenter inhiasse, ut obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium et faceret et vocaret: essetque, ut vulgariter loquar Gothia, quod Romania fuisset: fieretque nunc Ataulphus, quod quondam Caesar Augustus. At ubi multa experientia probavisset, neque Gothos ullo modo parere legibus posse propter effrenátam barbariem, neque reipublicae interdici leges oportere, sine quibus respublica non est respublica, elegisse se salutem, ut gloriam sibi de restituendo in integrum augendoque Romano nomine Gothorum viribus quaereret, habereturque apud posteros Romanae restitutionis auctor, postquam esse non poterat immutator cet.“

Fusius quidem in examinandis Stiliconis ingenio consiliisque versatus sum, sed cum solidum, quo insistere possem, fundamentum non reperissem, in Stiliconis vero laudibus omnium fere Claudiani carminum summa posita sit, ipse hanc quaestionem accuratius mihi instituendam esse putavi. Iam igitur qua ratione Claudianus id, quod adhuc de Stilicone statuimus iudicium, comprobet et largius explicet, quid novi addat, inquiramus legibus, quas priori huius disputationis parte proposuimus, diligenter observatis. — Primum cautam illam, quam Stiliconis fuisse perspeximus, imperii tutandi et corroborandi rationem a poeta non expressam invenimus. Neque hoc mirum esse potest. Sobriam enim hanc et, quae debilitatis rebus tam prudenti moderatione consulebat, administrationem poetica descriptio ac praecipue luxurians Claudiani ingenium abhorret, quod fervidissimas et splendidissimas requirit imagines et grandibus atque audacibus potius quam prudentibus ac cautis consiliis favet. Poetae licebat illam, quam in Rutilio Namatiano et in senatoribus perspeximus[1]), rerum splendidam sed ineptam contemplationem amplecti, quae Romani imperii celsa magnitudine gloriaque quasi tumida audaces ac nefarios qui eam offendebant hostes ut a Iove Titanas percellendos et exstinguendos esse putaret. Quare Claudianus Alaricum atrocissimis depinxit coloribus[2]), unde nihil omnino historiae assumendum esse contendo. Describit eius ingenium saevum nefarium audacissimum, quod ipsius gentis sapientioribus viris oppositum fuerit. Fingit enim consilium ab Alarico convocatum esse, in quo senex aliquis Gothorum procerum ducis Alarici temeritatem, qua Romam ipsam aggredi instituerit, severo

---

1) Cf. pag. 22.

2) Claud. De b. Get 77—104; De VI cons. Hon. 127—330.

sermone increpat[1]). Quam in Gothorum consilio dissensionem Gibbonius non quidem e Claudiani auctoritate, sed e rerum natura veram putat[2]). At nec verisimile est talem inter Gothos ad id bellis cum deditissimos tum felicissimos fuisse dissensionem, nec illo ipso tempore debiles et marcidas Romanorum vires impugnare audaciae et imprudentiae fuit. Nonne ipsa ingentis, quo Romani tum perculsi erant, terroris descriptione Claudianus aperte docet[3]), Alarici expeditionem nequaquam audacem, imo vix dubiam fuisse? Sed voluit poeta, ut Stiliconis gloriam augeret, periculi magnitudinem fuse describere et imperii maiestate Stiliconisque ingenio elatus nefaria et inania carpere hostis conamina. Quare suas ipsius sententias poeta Gothorum illi Nestori tribuit. — Accedit iam alia causa, qua Stiliconis sobrias rationes Claudianus non diserte expressit. Claudiani carmina annum CCCCIV, quo sextum consul fuit Honorius, non excedunt. Stiliconis vero consilia, praecipue illud, quod de Alarico in imperii salutem conciliando ceperat, post annum demum CCCCIV i. e. post finitum illud bellum Geticum in ipso quasi maturescebant. — Neque tamen Claudianus Stiliconis consilia, prudentem in barbaros animum omnino non prodit. Primum enim in describendo itinere, quod secundum Rhenum fecit Stilico a. CCCXCV nullis omnino copiis adiutus, pacem Eugenii rebellione turbatam brevissimo tempore ab illo restitutam esse poeta narrat[4]). Quod iter maxime mirum intelligi nequit, nisi Stiliconem Theodosiano more et praecepto cum barbaris egisse existimas. Canit quidem Claudianus de barbaris regibus humili de-

---

[1]) Claud. De b. Get. 469—550.

[2]) Gibbon V, chap. XXX, p. 198, note 42.

[3]) Claud. De b. Get. 36—314.

[4]) De laud. Stil. I, 189—232; De IV cons. Hon. 439—459.

votione supplicibus, attonitis, procumbentibus[1]): at haec luxuriantis poetae, non historiae esse liquet. Neque minus nostram sententiam comprobat, quod Stiliconi ultro favere barbaros canit poeta illiusque exercitibus ut socientur precari[2]), quod fideles et obedientes Stiliconi eorum animos saepissime laudat[3]), quod post Theodosii mortem discordes exercitus partes tam eximia arte consociavit, et in summo discrimine Alarico Italiam invadente, cum precandi magis quam imperandi necessitas esset, trans Alpes exercitum colligere potuit, quo hostem devicit[4]). Ita quae prudenti sua et gravi tamen clementia Stilico effecerat, Claudianus quidem prodit, cautas vero ipsas et moderatas agendi rationes, ut poeta, non explicat, sed omnia illa mira quadam et invicta, quae Stiliconis ingenio totique naturae inhaerebat, auctoritate impetrata esse vult. Humanum ac mitem in omnibus rebus se praebuisse Stiliconem, quam virtutem cum gravitate coniunctam illis temporibus tam diversas ac contrarias opiniones viresque complectentibus utilissimam et praestantissimam habuerim, cum iam perspecta Stiliconis consilia legesque rectore Stilicone ab Honorio editae nos docuerint, Claudiani disertae laudes largius describunt confirmantque. Singulas enim ac certissimas describit vitae rationes vel leviores, quibus illa virtus pateat, quae nisi e familiari, qua poeta utebatur, Stiliconis consuetudine sumptae essent, ridicula sane exstarent mendacia[5]). Nec tamen utili et sana severitate Stiliconem abhorruisse, idem probat Claudianus. Praesertim

---

1) De laud. Stil. I, 202—217; De IV cons. Hon. 445—455.

2) De laud. Stil. I, 232 sqq.

3) De IV cons. Hon. 484—488; De b. Gildon. 292—301; De laud. Stil. I, 148—170, 232—245; De b. Get. 421—429.

4) De b. Get. 363—404.

5) De laud. Stil. II, 152—168; III, 43—50, 216.

non nimia aut effusa liberalitate militum gratiam ab eo captatam esse, poeta diserte laudat[1]), quod cum gravissimum est, quia nonnulli scriptores militibus eum in civium damna nimis favisse arguunt, tum fide dignissimum, quod poeta, qui tanta voluptate et ubertate splendidam Probi munificentiam ipsiusque Stiliconis liberalitatem praedicat[2]), sobriam et austeram parsimoniae virtutem non attigisset, nisi verum Stiliconis ingenium laudibus efferre voluisset. Probae vero et iustae rerum administrationis cur gravissimus testis Claudianus habendus sit, quo solo iam testimonio eius carmina historiae indagandae utilissimae sint, supra uberius explicavimus[3]). Restat iam, ut illos afferam Claudiani versus, quibus liberae reipublicae formas et instituta a Stilicone revocata esse laudat[4]). Iam exordio huius disputationis describendum mihi erat apertum, quo poeta pristinae libertatis mentionem facit, studium: quod Stiliconis administrandarum rerum rationibus nutritum esse multis illius carminum locis patet. Versus, qui huc spectant omnes, tam sobria, quae omnem splendidam descriptionem prorsus abhorrent, instituta describunt, ut re vera Stilico senatus umbratilem auctoritatem refecisse et confirmasse putandus sit. Voluit haud dubie his artibus languidum et iners rerum publicarum corpus paululum excitare, ne soli ipsi imperii quasi exanima moles ab hostium vehementiori in dies impetu defendenda esset, sed singula membra sponte et cum vigore quodam rebus defendendis interessent. Videmus etiam aliis temporibus apud alios populos in summo discrimine, quo marcidae res et senio quasi confectae periturae sunt, vetera et

---

1) De laud. Stil. II, 147 „A milite parcus diligeris".

2) In Prob. et Olybr. coss. 42—55; De laud. Stil. III, 223—236.

3) Cf. p. 13. 4) De laud. Stil. I, 325—333, III, 85—90, 107—112, 115—120. Cf. etiam Symmachi Epist. IV, 4.

abolita instituta revocari, ut arcessita haec iuventutis species mortem arceat. Sane haud multum auxilii sibi rebusque Stilico inde comparavit. Nec profecto multum inde speravit: quare etiam alia, quae supra descripsimus[1]), remedia adhibuit, minus splendida quidem nec Romanae superbiae grata, sed efficaciora temporibusque accommodatiora.

Quae vero potissimum Claudiani carminum fidem in suspicionem vocare videantur, turgidae et luxuriosae laudes Honorio imperatori tributae, quem stolidi et tardi fuisse ingenii omnes scriptores et tota eius imperii historia docent, accuratius intuentibus nobis non solum iustum illud de Honorio iudicium comprobant et certius definiunt, sed etiam ad Stiliconis ingenium summamque auctoritatem aestimandam plurimum valent. Haec enim reputanda sunt: Arcadius et Honorius imperatores ipsius dignitatis suae splendore ac maiestate ita ornati et quasi obtecti erant, ut illam pro viris ipsis celebrare poetae liceret. Iam vero — quod gravissimum est — victoriarum, quas Stilico reportavit, gloriam ac merita Honorio ipsi poeta adscripsit et ut Arcadii rectorum scelera ab ipso Arcadio secernere studet, quippe qui iam adolescens illorum ignarus sit, ita Honorio quamvis natu iam minori Stiliconis omnia merita vindicat. Quare omnes fere laudes, quae non rhetoricis floribus aut mythorum comparationibus constant, revera Stiliconis sunt, ita ut Honorium statuae uberrimis tropaeis ornatae comparare possis. In ipsis enim, quae Honorii consulatus celebrant[2]), carminibus Stilico primarum actor est et Honorii solum meritum in eo ponitur, quod Stiliconem socerum habeat[3]). In carmine in IV Honorii consulatum compo-

---

[1]) Cf. p. 37 sqq. [2]) Carmina de III, IV, VI cons. Honorii scripta; [3]) De nupt. Hon. et Mar. 335.

sito larga, quam Theodosius filio habuit, oratione finita[1]), poeta affirmat quidem iam superari Theodosium a filio, sed addit „subnixus Stilicone suo“ et deinde neglecto Honorio in solis Stiliconis laudibus versatur[2]). Carmen in VI Hon. cons. conditum belli Getici partem narrat et Honorium eo tantum arcessit, ut ipse soceri virtutem describat[3]). Ac paene irrisio evadit, si poeta se quasi corrigens dicit: „Ni tua vel soceri nunquam non provida virtus“[4]) et coniungit: „cum Stilicone gener.“[5]) — Iam vero quibus aliis laudibus ornat Honorium? Quascunque res splendidas et ab aliis gestas cum Honorii nomine variis rhetoricis artibus ita connectit, ut earum aliquo modo particeps exsistat. Neque solum Stiliconis merita, sed etiam patris de Argobaste et Eugenio reportatam victoriam quippe auspiciis pueri Honorii consulis partam ei tribuit[6]). Ubi vero ipsam Honorii speciem describit, externum decus potius et vestium magnificentiam depingit[7]), quam virtutes et praesertim mira illa Honorii cum numine Memphitico in vulgus prolato comparatio[8]) tardam eius ac stupidam gravitatem exprimere videtur. Eo ipso vero, quod Honorius nec vitiis nec virtutibus praeclaris praeditus erat, quibus libet eum inducere ornamentis Claudiano licebat. Nec minus vile imperatoris ingenium eo comprobatur, quod poeta ab eius aetate adulta libenter recedens in praeclara pueritia fusius describenda versatur. Aliud decoris inde Honorio acquirit, quod rebus praeclare gestis, quibus Honorius non interfuerat, interesse eum fervida alacritate voluisse canit[9]). — Optime vero qualem Honorium putaverit Clau-

---

1) De IV cons. Hon. 214—419; 2) Ibid. 432;
3) De VI cons. Hon. 426—490. 4) In Eutr. I, 402.
5) Ibid. 378; 6) De III cons. Hon. 87;
7) De IV cons. Hon. 565—610. 8) Ibid. 570—577.
9) Ibid. 352—369; De b. Gildon. 354—379.

dianus docet, cum Arcadio, — quem non infesto poeta animo, sed omnino non describit, a rectorum eius sceleribus seiungit quidem, sed „patricii“ nominis, quod Eutropio inditum erat, acerba interpretatione[1]) et descripto aulae Byzantinae itinere Ancyrano[2]) apertissime sugillat et castigat, — Honorium imperatorem simillimum comparet[3]). Fratres igitur Castori et Polluci conlatos nonne prorsus confundit poeta eandem utrique tribuens inanitatem? Quare si ex solis Claudiani carminibus iudicium de Honorio nobis statuendum esset, iustissimum et apertissimum exstaret.

Iam ad principem, quem Claudianus acerbissime perstrinxit, Stiliconis inimicum diiudicandum aggrediamur, dico Rufinum. Primum illud plurimum valet, quod a nemine nec ab ulla parte illum virum defendi videmus: quod illis temporibus, quibus fervida diversarum partium studia sobria et iusta reprimebant iudicia, sane mirum est; ne clerici quidem scriptores eum excusare student, quamvis nec Theodosii erga ecclesias studia ullo modo coercere conatus sit et post Theodosium a. CCCXCIV in Occidentem profectum ad suam usque necem multas ac fervidas contra haereticos et paganos emiserit leges[4]), quibus ipsius Theodosii severitatem longe excedit. Ipse anno CCCXCIV baptizatus est, in ecclesia a se apud Chalcedonem exstructa[5]). Ambrosius quidem eum amicum aestimat, quem ad tantos honores provectum esse laetatur[6]); at vivum Rufinum nonnullorum hominum iudicia fefellisse, cum praestantissimum eius vitium vel artem in dissimulando positam fuisse omnes consentiant[7]),

---

[1]) In Eutr. II, prol.; in Eutr. II, 68. [2]) Ibid. II, 95—102.
[3]) De IV cons. Hon. 203 et in fine; De III cons. 182. [4]) Cf. p. 24.
[5]) Sozomenus VIII, 17. [6]) Ambrosii epist. L.
[7]) Eunap. frgm. Suidas s. v. *Ρουφῖνος*; (Mueller frgm. LXIII); Claudian. In Ruf. I, 98—99.

quid mirum? ipsum Theodosium profecto non stupidum eius mores ingeniumque prorsus latuerunt. Idem vero Ambrosius alio loco eum arguit, quod Theodosium ad Thessalonicam illam caedem incitaverit [1]). Hieronymus insatiabilis eum avaritiae [2]), Orosius et Philostorgius proditi imperii nefariaeque imperii cupiditatis accusant [3]). Symmachus, qui benevolus vir nec acri iudicio res penetrans, laudum valde liberalis ubique tot suos amicos et quasi clientes potentibus viris commendat, aliquot epistolis multis laudibus Rufino blanditur [4]), qui fratrem et filium ipsius promoverat; mortuum vero Rufinum praedonem publicum vocat [5]), quo caeso summum gaudium Romae exortum sit. Eunapius et Zosimus certa Rufini scelera uberrime narrant [6]). Rapacis avaritiae crimen optime probatur lege ab Arcadio a. CCCXCVI emissa [7]), ne quis sua bona proscripti Rufini bonis immixta sua ipsius auctoritate sibi vindicet, quod edictum per omnes provincias divulgari iubet Arcadius. Unde patet, sat multos post Rufini necem exstitisse, qui erepta ab illo bona sua repeterent. Tatiani et eius filii Proculi cladem Rufini dolis exortam Zosimus diserte narrat [8]), Claudianus [9]) indicat. Iam eo, quod Rufinus condemnati Tatiani obtinebat honorem Praefecti Praetorio, iniustae condemnationis suspicio oritur, lege, quam Theodosius a. CCCXCII emisit, comprobata [10]). Hac enim ii, qui peculatu provincias quassaverint ad id tempus multae obnoxii, poena capitali afficiuntur, quae lex ad Tatiani iudicium spectans auctore Rufino missa est. Tatiani

---

1) Theodoret. V, 17. 2) Hieronym. epist. III.
3) Oros. VII, 37, Philostorg. XI, 3.
4) Symmach. epist. III, 81—91; 5) Idem VI, 15.
6) Zosim. V, 1—7, IV, 51—53. 7) Cod. Theod. IX, XLII, 14.
8) Zosim. IV, 52. 9) Claud. In Ruf. I, 246—249.
10) Cod. Theod. IX, XXVIII, 1.

vero et Proculi innocentia Zosimi quidem iudicio vix satis probari videatur, qui sola morum integritate Tatianum Rufini odium subiisse dicit[1]). Sed legibus illis Arcadii i. e. Rufini, quibus Tatiani et Proculi leges nonnullae ut perniciosae infirmantur, eorum culpam comprobari, prorsus negandum mihi esse videtur. Facile enim, qui in eius quem demovit locum succedit, nonnulla ab illo instituta diffamare ac mutare, memoriam dedecorare potest, ut se ipse extollat. Duobus edictis bona eorum, qui a Tatiano proscripti erant, fisco adiuncta proscriptis vel eorum heredibus reddi iubet[2]). In quibus primum ficta quaedam verborum humanitas me offendit[3]), tum unde concludi licet, multos atque eos iniuste a Tatiano esse proscriptos? Potuit profecto eo facilius Rufinus Tatiani memoriam polluere, quo pauciora e fisco restituenda erant bona. Neque plus ex alia lege[4]), qua „aerariae praestationis adiectio“ quaedam a Tatiano Provincialibus imposita removetur, ad eius culpam probandam elici licet; inde enim quod postea Rufino aucctore remota est, de illius edicti duritie vel iniquitate iudicari nequit. Quod etiam ad alias Proculi et Tatiani leges spectat[5]). Proculum vero filium non illum fuisse, qui a. CCCLXXXIV a Comitis Orientis munere cum dedecore amotus a Libanio[6]) rapacis saevitiae accusatur, iam eo patere videtur, quod Theodosius tam infami viro profecto non iterum summos induisset honores. Fuerint

---

[1]) Zosim. IV, 52. [2]) Cod. Theod. IX, XLII, 12 et 13.

[3]) C. 12: „vel ipsis, qui propriam nuditatem: vel illis qui suorem mortem in extrema positi egestate lugent“; — C. 13: „vel ipsis, qui gladio acerbiorem stilum passi aerumnas suas nuditatemque fleverunt vel eorum filiis ac propinquis, qui cruentas excepere sententias.“

[4]) C. Th. XI, I, 23. [5]) C. Th. XII, I, 131; XIV, XVII, 11 et 12.

[6]) Liban. or. XX.

quidem Tatiani mores rigidi, quin etiam vituperandi[1]; at sceleste et turpiter Rufinus in eum processit. Docet enim Arcadii lex a. CCCXCVI emissa[2]) Tatiani patriam i. e. Lyciam provinciam Rufino auctore prorsus infamatam fuisse, ita ut Lycii omnibus honoribus iuribusque eximerentur. Infirmat Arcadius hoc iudicium, quo insatiabilis vindictae cupiditas elucet, simulque comprobat Rufinum ipsum Tatiani fuisse iudicem.

Luciani vero caedes, quam Zosimus narrat[3]), turpissime peracta est a Rufino, quidquid de Luciani moribus iudicas. Ac videtur re vera eo tantum periisse, quod Zosimo teste, quae turpiter Eucherius quidam Arcadio cognatus petierat, fortiter repudiavit; unde enim tam certa narratio fingi potuerit, non intelligo. Ac cadit profecto hoc facinus in eius hominis foedissimam iram, qui nihil aegrius fert, quam si eius quem promovit rigida probitate ipse aliquid damni passurus est. — Iam si universi populi summum gaudium Rufini nece conceptum et insanum, quo eius corpus dilaceravit, furorem[4]) reputas, certissimum de saevo detecto rapaci illius ingenio iudicium statuas.

Si vero, quid Claudianus ad Rufini ingenium historiamque certius diiudicanda afferat, quaerimus, primum consideranda est fervida eius odii quasi luxuria, quae in dilaceratis eius membris vix satietur[5]). Atque eo prorsus differunt Rufini et Eutropii, quales poeta profert,

---

[1]) Ea ipsa, quae Asterius or. VIII refert, Tatianum leonis instar superbum, fortissimum, invictum fuisse, probare mihi videntur, eum gravissimae quaestionis facillimam occasionem praebere potuisse et Rufini ambitioni molestissimum fuisse.

[2]) Cod. Theod. IX, XXXVIII, 9. Cf. Tillemont V, P. II. Not. L. sur l'emper. Theodose [3]) Zosim. V, 2.

[4]) Zosim. V, 7; Hieronym. epist. III; Philostorg. XI, 3; Asterius or. 4; Claud. in Ruf. II. [5]) Claud. in Ruf. II in fine.

descriptiones, quod illum summa ira et odio, hunc acerbissima carpit irrisione, Rufinum immanem et terribilem, Eutropium etiam ridiculum describit. Quod statim cognoscimus imaginibus et comparationibus, quibus utrumque castigat poeta, inter se conlatis: Rufinus hydris, tigridi, Chimaerae comparatur ipsiusque Megaerae immanitatem superare dicitur[1]); Eutropius scabioso cani, vetulae vulpi, foedae anui comparatur[2]). Tota Rufini descriptio grande et insigne aliquid fuisse in eius ingenio docet, ita ut deridendo locum non praebuerit. Quare cum de Eutropio dicat Claudianus: „Concidit exiguae dementia vulnere chartae“[3]), Rufinum haud indignum Stilicone aestimari adversarium et verba docent: „Certamen sublime diu, sed moribus impar virtutum scelerumque fuit“[4]) et elata ac sublimia illa quae finem alterius in Rufinum carminis statuunt[5]). Ingenii vires sat magnas Rufino fuisse certissime inde concludas, quod nusquam eas impugnat poeta; itemque e silentio Claudiani patere videtur, mollibus libidinibus haud ita deditum fuisse Rufinum, quod in Eutropio eiusque sociis describendis tanto gaudio et ubertate carpit poeta[6]); nam communes illae, quibus simplicem et modestam suam vivendi rationem Rufini divitiis et luxuriae opponit[7]), sententias poetarum flores esse ex Horatio aliisque sat notos liquet. Ac si reputamus, qua arte et faceto gaudio Claudianus foedam Eutropii faciem totamque figuram describat[8]), cum de Rufini externo habitu nihil proferat, Philostorgii verba[9]) comprobare videtur

---

[1]) Claud. In Ruf. I, 89—91, 138—139, 226—228, 251—255, 294—296. [2]) Claud. In Eutr. I, 132—138, 145, 269.
[3]) In Eutr. II, prol. 19; [4]) In Ruf. I, 297.
[5]) In Ruf. II, 440—527. [6]) In Eutr. I, 255; II, 84, 326—462.
[7]) In Ruf. I, 204—215. [8]) In Eutr. I, 38, 110—138, 258 sqq.
[9]) Philostorg. XI, 3.

dicentis procerum illum fuisse ac strenuum et ingenium eius vividis oculis promptoque sermone apparuisse. Remotis igitur, quae sola ornamenta poetis usitata esse videntur, haud plura aut turpiora vitia sceleraque a Claudiano, quam a ceteris fontibus Rufino imputari invenimus: immo unius sceleris, Promoti necati criminis, Claudiani silentio eum absolvi demonstrasse mihi videor[1]).

Iam de bello Gildonico nonnulla mihi dicenda sunt; quod bis narrat Claudianus et toto carmine, quod inscriptum est „De bello Gildonico“ et in eorum, quae de laudibus Stiliconis agunt, carminum primo libro[2]). Priori carmine cum exercitus ad bellum gerendum emissus sat magnus et validus describatur, quippe qui copiis Troiam eversuris comparetur, portu Pisaeo navium multitudinem non complectente[3]), altera descriptione ipse refellere videtur priorem narrans prudenti consilio non omnes copias a Stilicone missas esse, ne hostis ad desperationem adductus omnia deleat et subvertat[4]): acutis igitur verbis: „ne timeare times“ exercitum formidabilem fuisse negare videtur. Iam si studium illud omnia augendi et exaggerandi in Claudiano conspicuum respicis, huic studio priorem descriptionem attribuas, alteram veram putes, quam aperta expeditionis tenuitas ei quasi invito extorserit. Quomodo Gibbonium et Schulzium iudicasse video[5]). At perspectis illis carminibus Claudianique ingenio prorsus aliter iudicandum esse arbitror. Quaeratur enim oportet, quid utraque descriptione poeta voluerit. Carmine, quod inscriptum est „de bello Gildonico“ ipsam, quae re vera facta est, expeditionem laudibus celebrare studet usitatis ornamentis et rhetori-

---

[1]) Cf. pag. 12. [2]) Claud. De laud. Stil. I, 246—385.

[3]) Claud. De bello Gildon. 482—485.

[4]) Claud. De laud. Stil. I, 335—346.

[5]) Gibbon V, XXX, p. 167, note 45; Schulze p. 67.

cis floribus adhibitis, in altero vero carmine Stiliconem praedicaturus, qui expeditioni non interfuit, id ipsum, quod non interfuit, ut summam prudentiam laudare studet. Nec igitur invitus aut rei aperto statu coactus Claudianus profitetur belli apparatum tenuem fuisse, sed bono consilio eam non gravissimam nec in qua omnis spes posita fuerit describit. Si enim omnes vel plurimas vires in Africam tum missas esse poeta narrasset, in hac expeditione etiam totius belli exitum positum fuisse professus esset. Huic vero ipsi sententiae occurrere eum voluisse versus illi satis iam ostendunt, quibus ipsius expeditionis gloriam ac victoriae gravitatem diminuens aperte contendit, etiamsi illa ad irritum cecidisset, alias iam classes maioremque ducem venturos fuisse[1]). Cuius modi cogitationes cur omnino protulit, si expeditionem ipsam praedicare studebat? Nonne sicut in carmine de bello Gildonico scripto etiam in hoc carmine expeditionis mediocrem apparatum silentio praeterire ei licebat? Sed voluit hoc carmine omnia, quibus expeditio instituebatur, Stiliconis consilia nec expeditionem ipsam aut felicem pugnam praedicare, quippe cuius laus non Stiliconi sed Mascezeli duci tribuenda esset. Cuius gloria ne nimis splendida eniteat, hic expeditionem illius virtute prosperam parvi aestimare studet et in ipso carmine „de bello Gildonico“ inscripto, Mascezelis nomen totamque personam in describendo apparatu prorsus negligit[2]). Suadet quidem Stilico Honorio, ut Mascezeli bellum gerendum committat, sed ita, ut solam eius miseriam Gildonis fratris saevitia procreatam causam faciat, cur ei res gerenda sit Honorio ipso prorsus indigna[3]). Dein cum ipsum exercitum describat, legiones enumeret, iter militumque sermones fuse explicet,

[1]) De laud. Stil. I, 363—368. [2]) De b. Gildon. 415—526.
[3]) De b. Gildon. 379—415.

ducis nullam mentionem facit. Quod callidum negligendi illius viri studium aperte demonstrat hunc Stiliconi molestum fuisse, unde inanem illam de Mascezelis nece a Stilicone peracta fabulam ortam esse iam antea exposui [1]. Cum igitur ostendisse mihi videar, non coactum et invitum sed diligenti studio Stiliconem expeditionem ut mediocrem descripsisse, vix quisquam inde belli apparatum re vera tenuem existimet. Nec Claudianus ipse parvum fuisse apparatum diserte dicit, sed non omnes copias missas esse; verba vero „ne timeare times“ ad Stiliconis absentiam potius, quam ad copiarum tenuitatem spectant. Dein credi non licet, gravissimi huius belli exitum incertae ac dubiae parvi exercitus expeditioni commissum esse, cum veloci victoria foedissima fames depellenda esset et ipse Claudianus fateatur, si tarde vicissent Romani, cladem potius, quam victoriam exstitisse [2]; porro codex Theodosianus docet tum tirones undique delectos [3] et Zosimus multas copias emissas esse diserte narrat [4]. Dicit quidem Orosius, cum V milibus militum Mascezelem vicisse [5]; sed primum ipse addit „ut aiunt“, tum pius ille vir ubique mira dei beneficia piis hominibus tributa quasi investigans Mascezelis pietati singularem victoriam adscribere studet. Quam vero levis credulusque sit Orosius in numeris definiendis, ingens illa, quam Heracliano tribuit, navium multitudo docet [6]: quae Heracliani expeditio a. CCCCXIII facta iam propius quam bellum Gildonicum ab eo, quo sripsit Orosius, tempore aberat. — Vidimus igitur Claudiani carminibus recte perspectis Orosii descriptionem minime comprobari.

---

1) Cf. pag. 25. 2) De laud. Stil. I, 375.
3) Cod. Theod. VII, XII, 12—14. 4) Zosim. V, 11.
5) Oros. VII, 36.
6) Oros. VII, 42. Cf. Tillemont V, P. III, p. 1296.

Restat iam, ut pauca de bello Getico proferam, sed pauca tantum, cum plena et fusa eius descriptio, quam sola Claudiani carmina nobis praebent, huius disputationis fines excedant. Tribus quasi fragmentis Claudianus hoc bellum enarrat[1]), quae e rerum et temporum ordine coniungamus. — Dilucida ubertate poeta ingentem Romanorum terrorem, turbatum et dissolutum rerum ordinem, plebis anxiae et effrenatae tumultus describit; Roma iam capta et diruta putabatur, Romani Sardiniam, Corsicam, Gallias foeda fuga petituri erant. Solus Stilico ignavas et pavidas mentes coercebat et ut exercitum colligeret Alpes transgressus barbaros in Vindelicia et Norico provinciis tumidos pacavit, modicum eorum delectum habuit, finium omnia praesidia contraxit. Interea Alaricus in Liguriam processerat[2]), cuius itineris causam apertam non explicat Claudianus; neque, ubi imperator tum commoratus sit, diserte narrat. Gibbonius Honorium Alarico adpropinquante Mediolano effugisse putat in Galliam profecturum, sed barbaris equitibus instantibus Astam in urbem Liguriae se coniecisse, quam Alaricus obsidere conatus esset[3]). — Quam rerum descriptionem vehementer impugnat Aschbachius[4]), qui Ravennam satis munitam Honorium confugisse iam codicis Theodos. auctoritate concludit, qui leges intra annos CCCCII et CCCCIII Ravennae editas esse doceat; Alaricum vero ideo non propius Romam aggressum esse, quod Stiliconem reversurum timuisset et rebellantibus in Rhaetia barbaris omnibusque, quas circa Danubium haberet, opibus artius et propius coniunctus esse studuisset. At primum hae

---

[1]) Claud. De b. Get.; De VI cons. Hon. 127—330, 436—490.
[2]) De b. Get. 554—555; De VI cons. Hon. 443.
[3]) Gibbon V, chap. XXX, 195—196.
[4]) Aschbach: Gesch. d. Westgothen, p. 73.

ipsae causae per se nihil habent auctoritatis[1]), praesertim cum iam una pugna apud Timavum flumen facta Alaricum victorem exstitisse Claudianus aperte memoret[2]), nec, si illas causas comprobatas existimes, satis liquet, cur non Mediolanum potius, quod nec satis munitum fuisse imperatoris fuga docet, quodque multo gravius meliusque pro illis Alarici studiis situm erat, vel aliud oppidum Alpibus vicinius obsidere conatus sit, quam Astam urbem trans Padum collocatam. Porro si Stiliconem veritus Alaricus nec adversus Romam progredi nec Ravennam oppugnare ausus esset, nonne Claudianus pavidum barbari ducis animum, qui Italiam ipsam laedere dubitasset, splendidissime descripsisset? Iam accedunt apertissima in Claudiani carminibus vestigia, quibus Ravennae imperatorem tum commorari non potuisse patet. Describit poeta bis[3]) summum gaudium, quo imperator eiusque socii reversum Stiliconem exceperint pugna Pollentina nondum facta. Num vero ante hanc pugnam commissam Stiliconem Ravennam a Pollentino campo remotissimam venisse coniicere nobis licet? Dein Honorium tum, cum Stilico adveniret, ab hostibus conclusum et obsessum fuisse, Claudianus aperte docet. Si vero apud Ravennam Stilico in Alaricum incidit, quomodo ac quibus causis in remotam Liguriae partem profecti sunt? Ravennae igitur non commoratus est Honorius; num fortasse Mediolani mansisse et ab hostibus obsessus esse putandus est? Primum tanta constantia ab imperatoris Honorii animo aliena fuit, quem iam ante Stiliconem trans Alpes profectum in Galliam effugere voluisse Clau-

---

1) Loca, unde leges datae sunt, in cod. Theodos. haud raro falsa sunt inscripta. Cf. Godofredi proll. in C. Th.

2) Claud. De b. Get. 562.

3) Ibid. 453; De VI cons. Hon. 455.

dianus diserte narrat[1]) et suae ipsius tantum saluti consuluisse bellum post Stiliconem necatum cum Alarico gestum nos docuit[2]). Dein tam constantem imperatoris mentem Claudianus pro suo ingenio uberrime praedicasset. Tum quomodo in Pollentinum agrum venit Alaricus? Discessisse Alaricum haud prius, quam Stilico advenisset, versus supra commemorati docent. Nonne igitur poeta discessum illum ut ingenti, quo Stilico hostem perculit, timore procreatum descripsisset? Ac quid efficere et impetrare voluit Alaricus Stiliconem effugiens et Liguriam petens? Cur omnino tam callido silentio imperatoris res ac condicionem quasi texit? Cum non proferat causam, cur Astam urbem petierit Alaricus, ex iis, quas Claudiani carminibus in historiae usum arcessendis constituimus legibus, hanc Honorio Romanisque contumeliosam fuisse iure concludas. Quae omnia si reputamus, Gibbonii sententia prorsus comprobata nobis apparet.

Haec hactenus. Restant quidem iam multa, quae certius requirunt iudicium e Claudiani carminibus statuendum; sed hoc loco satis habeo, praecipuas quae ad Stiliconem pertinent quaestiones, ut potui, diiudicasse.

---

[1]) De b. Get. 296.
[2]) Cf. pag. 47.

Corrigenda:

Pag. 32 v. 5 pro perspect**a** legas perspect**o**,
ibid. „ mi**h**i „ mi**t**i.

EDMUNDUS VOGT DE VITA SUA.

Natus sum Opladeni provinciae Rhenanae oppidulo a. d. XIV Kal. April. anni h. s. XXXIX patre Joanno notario regio, quem iam ante hos decem annos praematura morte mihi ereptum lugeo, matre Christina de gente Theisen, quam adhuc in vivis esse vehementer laetor. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primordiis imbutus, cum progymnasium Opladense absolvissem, a. h. s. LII gymnasium Coloniense adii, quod tum Birnbaumio, inde a vere a. h. s. LVI Ditgessio rectore floret. Autumno eiusdem anni Bonnam migravi studiis historicis et philologicis me dediturus. Per novies igitur sex menses civibus academicis adscriptus prodocentes audivi viros doctissimos: Brandisium, Dahlmannum, Delium, Dieringerum, Diezium, Jahnium, Knoodtium, Loebellium, Lorentzium, Ritschelium, Schmidtium, Simrockium, Schopenum, Springerum, Welckerum. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas: prae ceteris autem pia grataque memoria colo semperque colam Loebellium, cuius exercitationibus historicis per tria semestria interfui, Schmidtium, qui in societatem philologicam benevole me recepit, Welckerum et Ritschelium, quorum eximia comitate mihi contigit, ut seminarii philologici sodalis ordinarius per duo semestria essem.

Inde ab autumno a. h. s. LX praeceptoris munere functus sum in ampla quadam familia Bonnensi.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) *In Alcmanis carminum frgm. XIV (Schneidewini Delectus p. 244) sic coniicio: „. . . χερσὶ λεόντιον ἐμπαλαθεῖσα τυρὸν ἐτύρησας κτλ.*

2) *In T. Livii histor. l. XXXIII c. XV verba corrupta: „Ibi parte dimidia . . . . iubet" sic emendo: „Ibi partem dimidiam exercitus et omnes equites discurrere . . . . . iubet," corruptelam e glossemate „dimissam dimidiam trifariam divisit," quod in Livii verba irrepsit, ortam esse ratus.*

3) *In Velleii Paterculi histor. roman. l. II c. LII pro ineptis verbis „ut militari et verbo et consuetudine utar" sic legendum statuo: „ut militare et verbum et consuetudinem u i t a r e t." (Cf. Appian. b. civ. II, 80; Sueton. Caesar 75; Florus IV, 2.)*

4) *Haud recte iudicat Mommsenus de C. Gracchi consiliis.*

5) *Nimia acerbitate Tacitus Tiberii mores ingeniumque descripsit.*

6) *In Taciti Germaniae cc. XI et XII vocem: „princeps, principes" eodem ubique sensu adhiberi Waitzius recte contendit.*

7) *Belli Schmalcaldici circa Danubium infeliciter contra imperatorem gesti praecipuam culpam in Philippo Hessiae Landgrafio positam fuisse, Sebastiani Schertlinii commentarii cum Philippi epistolis collati aperte docent.*

8) *Lessingii opera in gymnasiis diligentius sunt legenda.*